



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

De S. Magnobodo Episc. Et Conf. Andegavi In Gallia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67915)

AUCTORE
FLODOARDO.

posuit ossium; qui dum, data oratione, recederet, subito candela, supero accensa igne, coepit ardere. Quæ donec custos ecclesiæ ad vespertinalia pulsanda venit signa, pallio, cui superjecta jacebat, illæso, deflagavit, nec ullam pallio læsionem, cui adhærebat, aggressit. Multa præterea sanitatum, clarificationumque ibidem creberime ad declaranda Sancti sui merita Dominus ostendere dignatur miracula, ad honorem scilicet ac laudem nominis sui, quod est benedictum in sæcula.

me abbas Jurenensis in Burgundia sit, S. Romani vigilæ in diem xxvii Februarii inciderint oportet.

f Vide Commentarium prævium num. 43 et seq.
g Godefridus, qui hic dicitur principis Henrici comes palatii, signatur Godefredus inter comites (c) qui ex parte Henrici anno 921 interfuerunt concilio Troslejano ad pactum inter Carolum et Henricum reges sancendum.

h Cum Henricus, qui et Auceps cognominatur, hic loci non rex, sed princeps appelletur, nescio an inde concludi possit, id accidisse ante annum 919; quo, ut habent Casus monasterii S. Galli (d) Henricus Saxonum et Francorum consensu elevatur et ungitur in regnum. Quæ deductio si placeat, oportet ut non impedierit ille morbus, quin Godefridus anno 921 concilio Troslejano interesset: et ut tardius ad Wicfridum, Coloniensem antistitem, nuntios miserit, quandoquidem ille Agrippinensibus infulis ornatus est anno 925, ut volunt Gallia Christiana persecutores (e), et Gregorius Kolb in sua Coloniensium præsulum recensione.

i De Wicfrido, qui ab anno 925 usque ad 953 Colonia sedit, vide præcedens annotatum.

k In Chronico S. Vincentii Metensis (f) ad annum 917 leguntur Ungari primitus regnum Lotharii ingressi.

l Plura miracula, ut animadverterit lector, nuper facta perhibentur a Flodoardo; quocirca in memoriam revocare juberit, quæ in annotato a ad 1 caput ex Sirmundo et Colvenerio proposuimus de anno 948, quo Remensis historicus librum suum jam absolvisset.

ANNOTATA.

a Cum ecclesia hæc jam ineunte sæculo xi templo S. Laurentii suppleta videatur (a), colligi nequit quis illie S. Romanus coleretur cum plures sint homonymi. Verisimile tamen est eum abbatem Jurensem esse, cujus Acta vide in Opere nostro ad diem xxviii Februarii.

b Vide annotatum u ad præcedens caput.

c Milo ille, Montisfalconis præpositus, mihi alibi non occurrit.

d Boso, cujus hic meminit Flodoardus, videtur idem ac Boso, Richardi Burgundiæ ducis filius, frater Rodulphi Regis, bene notus annalista Remensi; cum in suo Chronico (h) ejus mortem referat ad annum 935.

e Cum hic S. Romanus, ut diximus, versimilli-

(a) D. Bouquet Recueil des Histor. de France, t. VIII, p. 190. — (b) Ibid. — (c) Ibid., t. IX, p. 324. — (d) Ibid., p. 90. — (e) T. III, col. 641 et seq. — (f) D. Bouquet, T. IX, p. 88

DE S. MAGNOBODO EPISC. ET CONF.

ANDEGAVI IN GALLIA.

C
J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

F

§ I. Sancti memoria; cultus.

CIRCA ANNUM
DCLX.S. Magnobodus, quem
Ado et Usuardus præ-
terunt,

Andegavum, provinciæ olim Andensis, nunc præfecturæ, quæ a Medua et Ligeri fluminibus (Maine-et-Loire) nomen sortitur, plurimos sanctitate et miraculis insignes episcopos habuit: inter quos etiam numerandus venit S. Magnobodus, quem Magnobodum, aut Magnobonum (gallice S. Maimbeuf aut Maimbeu) veteres appellarunt. Hujus Sancti nomen in Romano Martyrologio non occurrit; tacent quoque de illo Ado et Usuardus genuini: quin tamen propterea cultus ejus in dubium vocari possit. Etenim Sanctum nostrum memorat in suis Auctariis ad Usuardum Molanus his verbis: Andegavis, Sancti Magnobodi, episcopi et confessoris, qui tempore Dagoberti vita et signis late claruit. Quæ postrema verba ita intelligenda sunt, ut complexum quidem dicant S. Magnobodum universam Dagoberti I ætatem, sed simul indicent Sanctum episcopum et eundem regem diu præcessisse, atque eidem

longo tempore superstitem fuisse: alioquin ejus erroris Molanus arguendus esset, qui falso insinuat, initium episcopatus S. Magnobodi cum regno Dagoberti innectendum esse, ut infra latius demonstrabitur.

2 Cultum Sancti cæterum probant Kalendaria Ecclesiæ Andegavensis, et duplex Sancti Vita, sæculo, ut tardissime, duodecimo conscripta, uti infra videbimus. Uterque autem biographus ita de S. Magnobodo loquitur, ut illum virtutibus et miraculis insignem, et populorum concursu celebrem describat. Martyrologium Autisiodorensis anni 1751 sequentibus verbis Sancti festum annuntiat: Andegavi, Sancti Magnobodi episcopi, qui Vitam Beati Maurilii decessoris sui scripsit, ut ejus exemplo se suosque ad pietatem vehementius incitaret. Sancti mentionem desumpsit auctor, ut infra in nota dicit, ex Martyrologio Parisiensi et D. Chastelain, et Kalendaris Ecclesiæ Andegavensis. Et reapse.

partis tamen
in Martyro-
logiis et Bré-
viario Andegavensi cele-
bratur.

ut

A *ut omittam Martyrologium D. Chastelain, quod sancti præsulis nomini annectit tantum, sub ejusdem invocatione exstare collegiatam ecclesiam in suburbio, Martyrologium Parisiense anni 1727 hoc habet notatu dignum, quod memorat Reliquias Sancti insignes Parisiis quiescere: Andegavi, inquit, Sancti Magnobodi episcopi, cujus capitis pars insignis apud Sanctum Maglorium in suburbio colitur. Ebroicense Martyrologium, jussu Petri de Rochouart anno 1752 editum, Sanctum nostrum recollit his verbis: Andegavi Sancti Magnobodi episcopi, qui conscripta Sancti Maurilii Vita, hujus formam moribus exhibuit, cujus virtutes litteris commendaverat. Coronidis loco sit tandem ipsum Breviarium Andegavense, quod anno 1623 Carolus Miron, (qui anno 1616 demissam sedem, mortuo Guillemo Fouquet, anno 1622 resumpsit) ad Romani formam edidit, ea lege, ut omnes illud privatim publice recitent: Romanum tamen, ait in litteris præfixis, in privatis precibus semper excipimus. Istud itaque Breviarium S. Magnobodi nomen in suis litanis inter SS. Pontifices refert, atque ejus Officium ad idus (xv) Octobris sub ritu duplici annuntiat. Oratio e Communi Confessoris Pontificis desumitur: B. Magnobodus Confessor tuus atque Pontifex sua nos, Domine, sollemnitate lætificet, et pronobis tibi supplicans copiosius audiatur. Per Dominum. Et quoniam idem Breviarium compendiosam Sancti nostri Vitam continet, non ingratum fuerit eandem legitibus hic exhibere.*

B *3 LECTIO I. Magnobodus in pago Andegavensi natus est Christiana et illustri familia. Qui cum ab infantia futuræ sanctitatis hand obscura signa dedisset, studiis traditus literarum, totus se piis operibus addidit. Itaque facile Sancto Licinio Andegavensi tunc episcopo innotuit: qui summam in adolescente virtutem conspicuit, eum clericali tonsura initiatum ecclesiasticis exercuit officiis, ac demum sacerdotali ordine consecratum Colonetensi cœnobio præposuit. Cum autem Licinii basilicam Sancti Joannis Baptistæ a se constructam dedicare vellet, per Magnobodum cum summo Pontifice egit, ut Reliquias de corpore illius ad se ejus rei gratia transmitteret. Romæ cum esset Magnobodus, a summo Pontifice jussus lectionem in ecclesia decantare, ceptam e libro, memoriter usque ad finem divina virtute perduxit, cum e clericis quidam virtuti ejus invidentes lampadem extinxissent. — LECTIO II. Benigne dimissa a Pontifice cum Reliquiis Sancti Joannis Baptistæ, Andegavum rediit. Ubi defuncto Licinio, cum delatum episcopatum recusasset, Licinii successore mortuo, in locum ejus omnium ordinum suffragiis electus est, reclamantibus dumtaxat duobus canonicis Ambrulpho et Leobaldo, qui illico, Deo vindicante, dextro oculo orbi sunt. Suscepto episcopatu, in salutem suorum toto animo intentus fuit, ac pauperum in primis curam habuit. Orationi et Sacrarum Scripturarum lectioni assidue deditus, carnem cilicio, vigiliis et jejuniis coercebat. Sanctos Quadragesimæ dies, exiguo panis et aquæ demenso contentus, in cellula transigebat. Nuntios, quos Heraclæus abbas specie amicitia, ut ipsi venenum propinarent, pretio submiserat, ad se venientes benigne mensa excepit: et de salute admonitos, dato pacis osculo, sine noxa dimisit. — LECTIO III. Accessit ad vitæ sanctitatem admirabilis virtus curationum. Quippe cæcos multos illuminasse scribitur; energumenos tres dæ-*

monis infestatione liberavit: graves morbos a multis depulit. Synodo Remensi a Sonnatio ejus sedis episcopo celebratæ interfuit. Sancti Maurilii vitam descripsit plano ac simplici stylo, anno, ut ipse in præfatione testatur, ordinationis suæ decimo, regnantis Clotarii secundi trigesimo tertio. Sancti Saturnini ecclesiam ædificavit, fratresque ibi sub regula instituit, qui pauperes ægros et peregrinos advenientes curarent; atque ad eam rem necessarios eis reditus ædesque assignavit. Tandem urgente senio, febre correptus, cum suos ad divinorum præceptorum observantiam, et charitatem gravissimis verbis cohortatus esset, erectis in cœlum manibus orans spiritum Deo reddidit decimo septimo kalendas Novembris. Corpus in ecclesia Sancti Saturnini, quæ hodie Magnobodi memoria nuncupatur, ut ipse vivens jusserat, conditum est.

4 *Hæc Breviarium Andegavense. Non est hujus loci accuratius discutere quæ in legenda reperiuntur; quandoquidem in reliquo Commentario revocabuntur ad examen; sufficiat hic monstrasse sancti episcopi vitæ synopsis, quæ probet simul quo in honore aliquando apud Andegavenses fuerit. Hodie, quantum assequi possum ex ordine liturgico anni 1837, in eadem diocesi colitur S. Magnobodus ritu semiduplici aut simplici, et quidem pridie idus (xiv) Octobris. Ratio autem cur S. Magnobodus Andegavi non colatur in die obitus, scilicet xvii kal. Novembris, videtur esse quod, cum olim coleretur die xvi Octobris Apparitio S. Michaelis in Monte Tumbæ, oportuerit festum S. Magnobodi una die anticipare; in hodierno autem, incidente festo S. Teresie in idus Octobris, altero etiam die, seu xiv Octobris festività præcepta est.*

5 *S. Magnobodi Acta conscripsere bini auctores: quorum prior anonymus cœvus Sancto fuit; alter Marbodus, ex archidiacono Andegavensi Rhedonensis episcopus ab anno 1096 ad 1123. Hic tersiori stylo, contractaque singulorum miraculorum narratione, Anonymi biographiam sectatus est: atque propterea Marbodi elucubratio omittendam censemus; licet forsitan aliud suaderet tum viri integerrimi doctrina et sanctitas, tum etiam ipsa operis raritas, utpote quod in sola collectione omnium operum Marbodi editioni Hildeberti Cenomanensis ab Antonio Beaugendre subnexa, quantum scio, reperitur. Natus autem erat Marbodus in pago Andegavensi, ut monstrat ejus epitaphium ab Ulgerio Andegavensi cœvo compositum: Natus erat, quorum decus extitit, Andegavorum: perperam igitur Joannes Pitseus in opere de Illustribus Angliæ Scriptoribus (a), et qui illum secuti sunt, Fabricius, aliique Britannum aut Cambro-Britannum vocant. Patrem habuit Robertum Pelliciarium, uti constat ex Cartulario S. Albin Andegavensis (b); et quidem e primaria inter Andenses familia, si valet conjectura Antonii Beaugendre ad Epistolam III, Lib. II, Hildeberti Cenomanensis (c), in qua de Marbodo dicitur: Incubuit timor tuus et tuorum super eos (canonicos Andegavenses) dumque persona arguitur, suspecta est universitas parentelæ. Quibus certe verbis, si tamen de Marbodo intelligenda sunt, summa familia ejus potentia manifeste insinuat. Reliqua, quæ ad Marbodum pertinent, optime exponunt monachi S. Albin, dum ejus mortem per litteras encyclicas annuntiant, atque preces pro eo efflagitant. Quatenus Marbodum respiciunt, earum fragmentum subjungimus ex Theodoro Anecdotorum, ubi plura alia de eo occurrunt (d).*

AUCTORE
J. V. H.

et cultus referetur.

E

Bnos habuit S. Magnobodus biographos; Marbodi recentioris

F

(a) p. 185. — (b) Morice Mém. pour serv. à l'hist. de la Bret., t. I, p. 455. — (c) Oper. Hildebert, col. 79, not. d.

— (d) Martenne Thes. Anecd., t. I, col. 355.

A
brevis Vita

6 Universis, hæc ibi leguntur, unius sacro-sanctæ Ecclesiæ filius humilis congregatio Beati Albini Andegavorum episcopi, plenam de hoste victoriam, et de victoria coronam. Apostolica nos informat auctoritas, ut pro invicem orantes, alter alterius onera portemus, et sic adimplebimus legem Christi. Legem igitur Christi nos servi Christi pia sollicitudine adimplere satagentes, denuntiamus vobis obitum domni Marbodi venerabilis episcopi, semper cum laude memorandi, lingua facundi, religione præcipui, honestate præclari, litterarum eruditione doctissimi, ejus sermo sale semper conditus erat, et ex ore illius omni melle dulcior semper fluebat oratio; et quamvis eodem tempore variis studiis tota Gallia resonaret, ipse tamen oratorum rex Gallicanæ arcem eloquentiæ specialiter obtinebat. Tertio siquidem idus Septembris infirmatus carne, sed spiritu fortior, excedens a sæculo, vivens in Christo sua nos viduavit præsentia, et amoris sui jaculo vulneratos intolerabili dolore confecit. Qui post longa liberalium studiorum longe lateque vernantium exercitia, quibus in Andegavensi civitate, cui famosissimus ac nominatissimus extitit magister, efficacissime claruit, electus a reverendissimo Papa Urbano (II), in Turonensi concilio (a), sanctæ sedis Ecclesiæ Redonensis, annuente Domino, pontifex ordinatus est. Quam ipse dignitatem, immo onus accinctus gladio Spiritus Sancti, licet inter barbaros, et naturali quadam armatos feritate, per annos viginti octo fideliter prudenterque gubernans, superborum colla justitiæ censura perdomuit, arguendo, obsecrando, increpando, dissidentia pacificavit.

traditur:

7 Tandemque longævo confectus senio, plenus dierum in sancta confessione, ut præmissum est, in Domino requievit. Ingressurus itaque viam universæ carnis, mortemque vicinam præsentens, onere pontificali deposito, Sanctissimi Benedicti habitum humilitatemque suscepit, monachumque professus, Beato Albino se tradidit; ac sic exoneratus, pauperem Christum pauper et ipse secutus est. Ante quidem, ut Martha, sollicitus erat et occupatus erga plurima, nunc vero, velut altera Maria, unum esse necessarium recognoscens, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo..... Cæterum quia corpus quod corrumpitur aggravat animum, et deprimit inhabitatio terrena sensum multa cogitantem, et nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram, dilectissimam nobis caritatem vestram per viscera misericordiæ Dei nostri petimus et rogamus, ut pro illis (scilicet Marbodo et Gerardo monacho,) fundatis ad Dominum preces, et contra cuncta eis adversantia orationum vestrarum clypeos opponatis. Insuper admonemus, ut vanitantium vanitates et nugarum nœnias penitus recidatis, ne quod utiliter nimis institutum est, notam habeat levitatis. Nos enim vota precum animabus profutura, non verborum phaleras postulamus, quæ defunctis nihil proficiunt, et vivis plurimum solent obesse; cum scriptum sit de omni verbo otioso reddituros nos rationem. Hæc de Marbodo monachi Andegavenses, quibus consonant cœvi, qui de eodem scripserunt; uti videre est in præmonitione Antonii Beaugendre ad opuscula Marbodi, quæ operibus Hildeberti Cenomanensis subjunxit. Unde mirum non est Sausayum Rhedonensis episcopi elogium texuisse in suo Martyrologio Gallicano ad diem XI Septembris.

8 Altera S. Magnobodi ab Anonymo conscripta

Vita, quam infra edemus, antiquior est, utpote quam Marbodus contractius elegantiusque, presse tamen, secutus fuerit, ut satis constat ex serie rerum gestarum ab utroque eodem ordine relatarum. Imo auctorem Sancto nostro cœvum fuisse, plurima ejus verba clare demonstrant. Nam inter miracula, quæ vivens fecit S. Magnobodus, tria recitat, quorum ipse scriptor testem se fuisse dicit. Primum est de duabus puellis cæcis a Sancto curatis, quod hisce verbis exorditur num. 31: Ergo si vera fateantur, quæ relatione alterius didicimus, procul dubio frivola judicari non debent, quæ oculis nostris conspeximus. Narrat deinde puellas ad pontificem adductas, olei et orationum fomento sanatas fuisse. Alterum miraculum est de muliere itidem cæca et visui restituta, de qua dicit Anonymus num. 47: Dicamus ergo et illud, quod absque figmento mendacii testificari et adstruere possumus. Non alia miracula refert Anonymus, ut ipse dicit n. 18, quam quæ relatione multorum comperta sunt, cum igitur hic dicat miraculum absque figmento mendacii testificari et adstruere se posse, tantum id est, quantum si iterum testis prodigii oculatus ipse fuerit. Tertium tandem miraculum, quo mulier pariter cæca, muta et paralytica liberata est, ita narrat, ut ipse præsens prodigio adfuerit, num. 38: Et illud obmittendum non censemus, quod in præsentia nostra actum est. Hæc omnia plane conficiunt Anonymum cœvum fuisse S. Magnobodo: unde ejus narrationi fides non est facile abroganda.

9 Obijciunt tamen adversus ejus auctoritatem, adstrui ab eo, S. Magnobodum natum esse, flagrante bello Clotarium inter atque Theodebertum Austrasiæ Theodoricumque Burgundiæ reges; et præterea conjungi ab eo initium episcopatus S. Magnobodi cum Dagoberti I regno; et ex utraque objectione concludunt testimonium ejus in dubium vocari posse, aut certe ejus scriptionem ad nos non pervenisse absque interpolatione. Quid veri subsit his incusationibus, dispiciamus oportet; et quidem quod ad priorem pertinet, en Anonymi verba: Parentes ejus secundum humanæ propaginis genealogiam admodum spectabiles inter concives non mediocre obtinebant dignitatis locum, sub jure Lotharii filii Chilperici consistentes; qui cum consanguineis suis Theodorico scilicet et Theodeberto, adhuc intra adolescentiæ annos constitutus, exortis undique grandinum simultatibus, litem exercebat. Quæ verba non absolute significant tempore Clotarii II natum S. Magnobodum, quamvis illa Marbodus ita interpretatus fuerit, cum dicit natum regnante apud Francos Lothario Chilperici filio; sed indicare etiam possunt, locum natalem ad regnum Clotarii, totius dein Franciæ regis, pertinuisse. Nisi itaque Anonymus hæc dixerit, non tam ut epocham aliquam nativitati S. Magnobodi præfigeret, quam ut Neustriam ad Clotarium pertinentem accuratius designaret: non possunt ejus verba, quatenus tempus natale Sancti indicant, componi cum reliqua ejus historia. Triplex videlicet bellum inter hos reges exarsit, teste Fredegario capitibus XVII, XX, XXV (b): primum ipse Clotarius, duce Fredegunde matre, anno 596 ditionem Austrasianam invasit et fratres Theodebertum ac Theodorikum gravi clade affectit; iterum anno 600 duo fratres junctis armis Clotarium adorti, cæsoque ejus exercitu, partem Gastinensis pagi illi eripiunt; demum anno 604, ultro bella moventem Clotarium opprimunt, et Compendii ad pacis condiciones adiungunt. Si igitur Anonymum ita interpretamur, quasi

D
antiquior
biographus
cœvus vide-
tur:

E

F

(a) Ann. 1096. — (b) D. Bouquet Rec. des Hist. de Fr., t. II, p. 420 et 422.

indicare

A *indicare voluerit tempus natale S. Magnobodi, natum illum dicere necesse fuerit inter annum 596 et annum 604, quemadmodum Nostri, necdum ad trutinam revocata opinione, quæ reapse ad hunc locum spectat, ad diem XIII Februarii in Commentario prævio ad Vitam S. Licinii num. 7, (a) insinuarunt.*

quasi anno
596 natus
fuisse,

10 Verum hanc opinionem merito rejicit Cointius in suis *Annalibus* (b): Quis credat, ait, Magnobodum in lucem non editum fuisse ante annum Christi quingentesimum nonagesimum sextum, quo Clotarius Theodebertum ac Theodoricum reges invasit, aut nonum ætatis annum vix absolvisse anno Christi sexcentesimo quinto, quo Licinius episcopus ad Deum migravit? Si Magnobodus natus est flagrante bello civili, cum Neustriæ rex hostes experiebatur reges Austriæ et Burgundiæ, natus videtur anno Christi quingentesimo septuagesimo quarto, quo Sigebertus Austriæ rex et Guntchramnus rex Burgundiæ fœdus adversus Chilpericum Neustriæ regem pepigerunt, ut ex Gregorio Turonensi (c) retulimus. Non est hujus loci operosius inquirere in annum emortualem S. Licinii, de quo postea apto loco agendum erit; sed quidquid sit de hac opinione, hoc certum est S. Magnobodum cathedram Andegavensem conscendisse, ut tardissime, anno 609, ut infra demonstrabitur: qui igitur posset nativitatis ejus tempus cum anno 596 conjungi? Vix enim animum ætatis tertium decimum complevisset Magnobodus, cum episcopale onus susciperet.

B

quod cum reliqua

11 His adde, eundem pontificatui quasi prælusisse, quando particeps fuit omnium consiliorum S. Licinii, ut discrete asserit Anonymus n. 3 et Marbodius, cujus fragmenta citare malumus, ne Anonymus repetatur: Procedente tempore, ait Marbodius (d), per gradus ecclesiasticos ad sacerdotium usque provexit, dignum sane judicans, cui sollicitudinis suæ curam deberet partiri, cujusque posset consilio emergentium difficultatum ambiguitatibus explicari: neque enim illi deerat vel prudentia, qua rerum exitus metiret, vel constantia, qua bene provisã intrepidus exequeretur. Castitate præclarus, humilitate excelsus, charitate diffusus, morum doctrinam etiam lingua tacens poterat, vita loquens, minoribus exhibere. Sed neque suavitate carebat eloquentiæ, nec copia dicendorum, quibus audientium corda ab amore hujus sæculi ad desideranda magis cœlestia commutaret. His ergo de causis, sanctus episcopus Colonetense cœnobium regendum illi commisit, ut et grex fratrum rectoris sui provocatus exemplo, doctrina instructus, exhortatione accensus, ad meliora proficeret, et ipse in minoribus quasi præludens, ad majora postmodum disponenda ipso usu exercitior redderetur et aptior. In qua dispensatione tam fidelem se præbuit et prudentem, ut familiæ Domini, super quam constitutus erat, sufficienter corporis et animæ necessaria ministraret, et de sanctis profectibus non suam laudem, sed ipsius Domini gloriam præ se ferret. *Mittitur post hæc S. Magnobodus Romam, ut a Papa Sanctorum Reliquias obtineat; ac demum, altero post Licinium episcopo defuncto, sedem Andegavensem conscendit S. Magnobodus. Quis non dicat absurdum esse omnia hæc operatum esse juvenem ante annum ætatis decimum quartum completum?*

chronotaxi
componi non
potest:

12 Merito igitur hæc epocha ab Anonymo n. 1, ut volunt, insinuata rejicitur, quoniam cum factis supra relatis componi non potest. Num vero omnia

felicius concilientur conjectura Cointii, examinabimus infra, quando in annum Sancti natalem inquiremus. Dicendum igitur est, aut hæc dici ab Anonymo, ut jam præfati sumus, de Clotario, quatenus ejus in Neustria regnum designetur, aut hic interpolatum fuisse ejus textum; nam scriptor, quem coævum demonstravimus, tam turpiter errare circa sui temporis historiam non potuit: quamquam hic loci interpolationem non facile admiserim, quoniam Anonymus simpliciter adstruit, parentes S. Magnobodi sub jure Lotharii filii Chilperici, seu in regno Neustriæ, constituisse.

13 Sed est alius error multo certior, in quem Anonymus num. 5, et, qui eum secutus est, Marbodius (e) inciderunt. Uterque scilicet dicit, consensu incliti Francorum regis Dagoberti, filii Lotharii, Magnobodum Andegavensem cathedram occupasse, quod iterum cum Sancti nostri historia componi non potest. Nam certum est, ut jam diximus, ultra annum 609 ejus in pontificem ordinationem non posse differri: quum igitur Dagobertus I regnum Austrasiæ primum anno 622 acceperit, et insuper Andegavorum civitas, utpote in Neustria, ad dictum regem non spectavit ante annum 628, evidens fit, errorem obrepisse scribenti; qui cum coævum tribui non possit, amanuensis cujusdam sive oscitantæ sive præsumptioni adscribendus videtur. Cæterum utrumque errorem in Mss. valde antiquis exstitisse vel exinde constat, quod Marbodi quoque narratio iis erratis aspersus sit. Verum quantumcumque per hujusmodi anachronismos textus Anonymi in sua integritate detrimentum patiatur, hi tanti non sunt, ut fidem in reliquis Anonymo denegemus. Hisce de cultu et Actis Sancti Magnobodi præmissis, ad alia procedimus.

AUCTORE
J. V. H.

altera ob-
jectio, quod
ejus episco-
patus initium
cum re-
gno Dago-
berti compo-
natur.

E

§ II. Tempus et locus nativitatis Sancti Magnobodi; promotio ad Sacros Ordines; præfectura cœnobii Colonetensis.

In præcedentibus probatum fuit, tempus natale, ex Anonymo desumptum, conciliari non posse cum reliqua chronologia vitæ S. Magnobodi. Marbodius dicit quidem Sanctum natum regnante apud Francos Lothario Chilperici filio, ita ut liceret undecim vel duodecim annis tempus Sancti natale antevertere: natus siquidem dici posset anno 584, quum aliqui Anonymum assignasse volunt annum 596. Verum neque hæc duodecim annorum anticipatio difficultatem, quæ e tempore suscepti episcopatus enascitur, sufficienter tollit. Fuerit profecto S. Magnobodus anno 609, quo episcopus factus est, duodecim annis ætate provector; annum tamen vitæ ejus vigesimum quartum aut quintum tantum attingemus. Sed hæc ætas, secundum vigentem tunc Ecclesiæ, et maxime in Galliis, disciplinam, non erat idonea ad dignitatem presbyteri aut episcopi suscipiendam, ad quam requirebantur anni triginta completi, ut constat ex canone I Concilii Arelatensis IV anni 524 (f): Nullus episcoporum diaconum antequam xxv annos impleat, ordinare præsumat. Episcopatus vero vel presbyterii honorem nullus laicus ante præmissam conversionem vel ante annos xxx ætatis accipiat. Atque hæc quidem sanciantur, ut habet idem canon, quia in ordinandis clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum, sicut expedit, observata esse cogno-

Annus Sancti natalis statuendus non est 584;

F

(a) T. II Febr., p. 676. — (b) Ad an. 698, § III. — (c) Hist. Franc., lib. IV, cap. I, ap. D. Bouquet Rec., t. II, p.

229. — (d) Beaugendre Oper. Hildebert, col. 1492. — (e) Ibid., col. 1494. — (f) Labbe t. IV Conc. col. 1622.

scuntur,

AUCTORE
J. V. H.

scuntur. Quibus sane verbis indicatur hic agi de disciplina universaliter tunc admissa. Si itaque S. Magnobodus, regnante Clothario Chilperici filio, natus est, seu non citius quam anno 584, sequeretur illum ætate viginti quinque annorum viz completa episcopalem cathedram conscendisse; quod, utpote contrarium disciplinæ ecclesiasticæ tunc vigenti, si propter insignes ejus dotes accidisset, non tacuisset probabiliter auctor cœvus (a).

sed annus
574:

15 His igitur rejectis, superest opinio Cointii supra allata num. 10, qua censet, si S. Magnobodus natus est flagrante bello civili, ejus ortum potius referendum esse ad annum 574, quo rex Neustriæ Chilpericus adversarios expertus est Sigibertum Austrasiæ et Guntramnum Burgundiæ reges. In hac opinione habemus S. Magnobodum annum ætatis trigesimum sextum agentem, et proinde jam maturum muneri episcopali: quare deficiente omni alio indicio, quo tempus natiuitatis Sancti accuratius indiget, Cointii sententiam nos sequi oportet. Scrupulum tamen adhuc movent Anonymi verba num. 4, quibus, postquam narrasset recolendæ sanctitatis virum Magnobodum ecclesiastici ordinis (presbyteratus) ministerio promotum Romam legatum missum fuisse, prosequitur: His ita perpetratis, atque evolutis multorum annorum curriculum, obit S. Licinius, atque in ejus locum, altero tamen episcopo intermedio, S. Magnobodus eligitur. Hæc, inquam, multorum annorum curricula videntur intermedia fuisse inter Sancti legationem Romanam ac ejus pontificatum; atque hinc iterum propter ætatem triginta quinque annorum constringimur: si enim trigesimo primo anno presbyter factus Romam mittitur, quomodo dici potest episcopale munus suscepisse evolutis multorum annorum curriculum S. Magnobodum? Verum hæc multorum annorum curricula referenda non videntur ad res gestas S. Magnobodi, sed ad ætatem senilem S. Licinii, ita ut sensus Anonymi sit: postquam monasterium S. Joannis Baptistæ constructisset Licinius, et, procedentibus annis, ad senium devenisset, cepit infirmari. Ope hujus interpretationis, evanescit difficultas, et nihil videtur obstare, quominus S. Magnobodum natum dicamus circa annum 574.

dies natalis
fuit festivitas
Epiphaniæ.

C

16 Notavit quoque Anonymus num. 1, in die Epiphaniæ, vi Januarii, natum S. Magnobodum hisce verbis: Sicut solerti indagine compertum habemus, exordium natalis ejus in ipsa Epiphaniæ die recens extitit... et in ipso concentu galliciani, qui dieculæ prænuntiari non ambigitur igniculus, materna mundo Sanctum edidit alvus. Locus quoque Sancti natalis, utcumque indicatur, quam Anonymus num. 2 dicit: Itaque cum pro diluendis originalibus peccaminum contagiis prædicti parentes (S. Magnobodi) ad regenerationis lavacrum deferre staderent pervium, quod eundi ad basilicam copiam ministrabat, artatus Ligeris fluminis dirimebat, qui dum navali adminiculo meatum jam dicti annis transire vellent, etc.; videtur ex his verbis trans Ligerim natus S. Magnobodus, cum non nisi trajecto hoc flumine ad basilicam, in quo baptisandus erat, pervenire potuerint parentes. Unde probare non possum sententiam eorum, qui dicunt Sanctum in ipsa urbe Andegavensi natum, immo plateæ nomen adjiciunt, scilicet Corriariorum (rue des Tanneurs) (b). Res clarior fieret, si certa apud auctores illorum temporum esset significatio vocabuli Basilicæ: Joannes Mabillon in Annalibus Ordinis S. Benedicti (c) dubitat an

(a) Cfr. t. I Octob. Vit. S. Leodegarii, p. 366, n. 46 et seqq. — (b) Godard Hist. de l'Anjou, p. 171. — (c) Lib. vii, § vii, t. I, p. 161. Edit. Luc. — (d) Lib. v, § xxxvii. Ibid.,

umquam basilicæ nomine episcopales seu cathedrales ecclesias appellaverit Gregorius Turonensis, quas, ait, seniorum ecclesiarum aut præcise ecclesiarum nomine insignire solet. Attamen Hadrianus Valesius, quem propter egregiam disceptationem de Basilicis ipse Mabillonius luculenter laudavit (d), monstrat (e) a Gregorio etiam cathedralem ecclesiam quandoque dici Basilicam. Imo quod proprie ad rem nostram facit, ipse Anonymus num. 9 promiscue ecclesiam dicit, quam paulo ante basilicam appellaverat. Hinc fieri potest, quod basilica, ad quam puerulus Magnobodus baptisandus deferebatur, ipsa esset ecclesiæ cathedralis Andegavensis.

17 Parentes habuit S. Magnobodus nobilitate insignes, ut habet Anonymus num. 1, cui consentit Marbodius dicens (f): Magnobodus Andegavensi territorio oriundus fuit... parentibus Christianis, quos inter concives spectabile genus et honorum dignitas sublimabat. Neuter tamen biographus accuratius Sancti nostri familiam designat. Procedente vero ætate, ut pergamus cum Anonymo n. 3, cernentes prelibati parentes generosam filii sui indolem, sacris eum destinarunt imbuere litterarum studiis. Hanc tamen ad sacra studia destinationem non ita a parentibus accepit Magnobodus, quasi solo illorum arbitrio res ageretur; sed, ut ait Marbodius loco citato, quia eum divinis mancipandum obsequiis, certis quibusdam excitata signis fides parentum decreverat, et Ecclesiæ Christi præficiendum cœlestis ordo providentiæ disponebat. Itaque adolescens factus, amplioribus cepit virtutum studiis exerceri, nec proclivem in deteriora ætatem deformi luxu, aut inertis otio passus corrumpi, arctis semetipsum subdidit legibus abstinentiæ, ut scilicet nil ventri, nil indulgeret somno, nisi quantum naturæ necessitas postularet. Orationi jugiter, aut lectioni yacabat, ut nullum temporis intervallum absque spirituali profectu sineret deperire. Hæc cum ad Beati Licinii episcopi notitiam pervenissent, cujus mirabilis sanctitas inter Gallicanos episcopos tunc temporis habebatur, congratulatur divinorum munerum largitati, vocatum ad se juvenem more ecclesiastico tonsuravit, ac clericalibus officiis deputatum in castris Christi probatæ jam virtutis tyronem militare præcepit. Procedente mox tempore, per gradus ecclesiasticos ad sacerdotium usque provexit. Si certa esset, quam supra num. 15 aliquatenus probabilem diximus, natiuitatis Sancti epocha, propter ætatem triginta annorum requisitam ad presbyteratus ordinem, S. Magnobodi ordinatio ad annum Christi 603 referri posset.

18 Cernens igitur, ait Anonymus num. 3, Sanctus præsul Licinius ejus (Magnobodi) industriam et admirabilem mentis ejus intentionem, decrevit eum aliquantulum in superiori consistere gradu, et penes se retinere, ut adjutor sui in omnibus foret, et exemplis ejus cæteri æmulatores fierent. Si quidem patrem eum præfecit sanctæ congregationi, quæ in cœnobio Colonetensi Christo famulabatur, ut lucerna in fastigio candelabri sita, claritate luminis magis cæteros illuminaret, et dogmate divinæ admonitionis paradigma obsequentibus exhiberet. Marbodius quoque scribit (g) a S. Licinio Colonetense cœnobium regendum commissum fuisse Magnobodo. Hoc monasterium, jam diu destructum, suspicatur Bollandus noster ad diem xiii Februarii (h) situm fuisse, ubi nunc Chalonæ præfectura est, vetusque castellum, ad Ligerim fluvium, quatuor infra Andegavos leu-

Pie educa-
tus, et S. Li-
cinius Sacris
Ordinibus
initiat,ur,

E

F

et monaste-
rio Colonet-
tensi præfec-
tur:

p. 114. — (e) Discept. de Basil., cap. ii, p. 11. Edit. Paris. 1657. — (f) Beaugend. Oper. Hildeb., col. 1491. — (g) Ibid., col. 1492. — (h) T. II Februar., p. 679, not. c.

cis,

A cis, via Nannetensi. *Ex his igitur utriusque biographi verbis liquet illum Colonetensi cœnobio præpositum fuisse; quin æque clarum sit, quo titulo hanc præfecturam possederit. Etenim in reliqua Vita, sive antecedentia, sive consequentia consideremus, nullo verbo S. Magnobodi monachus attingitur. Hæc nihilominus Colonetensis cœnobii præfectura in causa fuit, cur Sanctum nostrum, tamquam Ordinis S. Benedicti alumnum, in suo Martyrologio ad diem xvii kal. Novembris Hugo Menardus, et, in Hagiologio Benedictino Hispanice conscripto, sub die xvii Octobris Antonius de Heredia adnumerarint. Huic opinioni probabilitatem quamdam addit, quod Glanofoliense monasterium, ex quo deinde cætera Benedictini instituti cœnobia prodierunt, situm esset ad Ligerim apud Andecavos, uti habet Mabillonius in Annalibus Benedictinis (a). Verum hæc ratio ea non est, ut Mabillonius moverit ad conscribendum S. Magnobodum inter germanos Benedictinos. Nam in Actis SS. Ordinis S. Benedicti (b) postquam dixerit de Sanctis, quos prætermittendos censuit, se asterisco notasse illos, qui germani Benedictini videbantur; ad S. Magnobodi nomen nullum huiusmodi signum existit: recte igitur inferre licet Mabillonium non habuisse Sanctum nostrum tamquam germanum Benedictinum.*

19 *Et reapse nihil, ut jam præfati sumus, in utraque S. Magnobodi Vita occurrit, quo confirmari possit ejus monachus: immo contrarium potius insinuat, scilicet eum ut clericum Ecclesiæ Andegavensi adscriptum fuisse. Ait enim Anonymus l. c. Decrevit (S. Licinius) eum aliquantulum in superiori consistere gradu et penes se retinere, ut adiutor sui in omnibus foret: equidem hæc verba ita intelligenda esse arbitror, ut Magnobodus, in superiori gradu aliquantulum, id est ad tempus, consistens, se episcopo ac relicto clero probaret, ac deinde ab omnibus dignus haberetur, quem episcopus secum retineret, ac adiutorem suum in omnibus faceret. Quod si hoc sensu accipienda sunt Anonymi dicta, satis apparet Magnobodum monachum non fuisse in aliquo cœnobio; proindeque nullo jure inter Sanctos Benedictini ordinis adscribi potuisse. Deinde in neutra Vita dicitur abbas cœnobii Colonetensis, sed præfectus aut rector, quatenus fortasse, quoniam tunc erat presbyter inter monachos Colonetenses, Magnobodus, jam sacerdotii gradu insignis, illos in via salutis atque perfectionis verbis et exemplis suis dirigeret.*

20 *Quamvis enim illa tempestate frequentes essent presbyteri monachi, non est tamen diffitendum existisse tunc etiam monachorum cœnobii sacerdotis solatio destituta. Duo in epistolis S. Gregorii Magni nobis occurrunt exempla, quæ demonstrant monasterium quandoque absque presbytero existisse. Sic S. Gregorius, amotis clericis, qui officia divina in ecclesia S. Pancratii extra urbem negligebant, tradit illam monachorum congregationi, cui Maurum abbatem præfuit, et addit (c): Sed ne remotis presbyteris, quibus ecclesia ipsa fuerat ante commissa, vacare ministeriis (alii legunt mysteriis) videatur: idcirco hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut peregrinum illic non desinas adhibere presbyterum, qui sacra Missarum possit solemniter celebrare. Quem tamen et in monasterio habitare, et inde vitæ subsidia habere necesse est. Defectum presbyteri monachi tamquam exceptionem a regula communi habent Benedictini editores Operum S. Gregorii Magni; neque inficias ibo, sed adjungunt hunc presbyterum fuisse fortasse*

ex aliquo vicino monasterio: etenim si monasticam, aiunt, vitam professus non fuisset hic presbyter, quomodo in monasterio habitare, ac arctiorem monachorum vitam ducere censensisset. Hæc opinatio nulla ratione fulcitur: dicit quidem S. Gregorius habitationem et vitæ subsidia presbytero præstanda esse a monachis, sed nullo verbo insinuat, illum severiori monasticæ disciplinæ esse subigendum.

21 *Similiter idem sanctus Pontifex, scribens ad Fortunatum Neapolitanum episcopum (d), dicit a Romano clarissimæ memoriæ viro adificatam fuisse Neapoli ecclesiam, quam consecrare præcipit in honorem Sanctorum Hermetis, Sebastiani, atque Cyriaci, nec non et Pancratii; ita ut, pergat sanctus Pontifex, in eodem loco baptisterium numquam constituatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed quoties Missas ibi degentes illic monachi fieri voluerint, a dilectione vestra presbyterum noverint postulandum: quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur. Non est dubium, quin tunc saltem, quando scribebat S. Gregorius, monachi ad dictam ecclesiam degentes proprio carerent sacerdote, qui missas celebraret et illis reliqua ministraret sacramenta. Quod quidem fortassis rarum non fuit primis monastici instituti temporibus, quum fuerint aliqui e primis Patribus, qui suos monachos sacrorum Ordinum exsortes malebant; ut scilicet omnis ambitio procul ecularet. Talis erat imprimis S. Pachomius, in cujus Vita ad diem xiv Maii cap. iii (e), ait auctor subæqualis: Ubi igitur ad peragenda sacra mysteria erat necesse, presbyterum e vicinarum ecclesiarum una aliqua evocabat. Nemo quippe inter eos ad ecclesiastici cleri ordinem adjunctus versabatur; ita ratiocinante Pachomio et ad suos sæpe repetente: optimum videri nullam, in cœnobiis præsertim, dignitatem et excellentiam appeti, ne rerum earum causa, aversiones, rixas, invidiam, æmulationem aliasque divisiones inter monachos oriri contingat. Hujuscemodi disciplina in causa fortassis fuit, ut aliqui, non obstantibus decretis contrariis Conciliorum et summorum Pontificum, præsertim Siricii Epistola I, cap. xiii (f), et Gregorii Magni (g), quæ monachos ad sacros ordines promoveri permittebant, huiusmodi, inquam, disciplina in causa fuit, ut aliqui præfracte sustinerent monachis interdicensum esse accessum ad sacros Ordines. Quorum audaciam fregit Bonifacius IV decreto synodali, iii kalendas Martias anni 610 promulgato, in quo hæc leguntur (h): Sunt nonnulli fultū nullo dogmate, audacissime quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectione inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt, et Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia esse indignos, neque pœnitentiam, neque christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotali officio divinitus injunctam potestatem; sed omnino labuntur... Igitur Patrum instituti exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus a sacerdotibus monachis ligandi solvendique officium, Deo imperante, haud indigne administrari, si eos digne contigerit ad hoc ministerium sublimari... Decertantes igitur monachicæ professionis presbyteros sacerdotalis potentie arcere officio, omnimodo præcipimus, ut ab hujuscemodi nefandis ausibus reprimantur in posterum. Hæc omnia concurrunt, ut hac præcise tempestate minor fuerit sacerdotum monachorum frequentia.*

22 *Potuit igitur et Colonetense cœnobium suo proprio sacerdote:*

(a) Lib. v. § x, t. I, p. 106. Edit. Luc. — (b) Sæcul. II, Prolegom., p. LVII. — (c) Lib. IV, epist. xviii, t. II, Oper. col. 696. — (d) Lib. x, epist. II, t. II, Oper. col. 1043. —

(e) T. III, Maii, p. 303, n. 18. — (f) Labbe t. II, Conc. col. 1021. — (g) Lib. VI, epist. xxviii, t. II, Oper. col. 814. — (h) Labbe t. V, Conc. col. 1618.

destitui

AUCTORE
J. V. H.

quod non raro carebat

E

F

ACTORE
J. V. H.

destitui presbytero : quare S. Licinius Andegavensium episcopus his monachis præficere potuit Sanctum nostrum Magnobodum, cui noverat, (verba sunt Anonymi, cui Marbodius quoque consonat), inter coævos miram diligentiam, summam obedientiam, non fictam charitatem, cernuam benignitatem et reliquas virtutum et scientiæ dotes necessarias ad monasterium regendum. Erat præterea in Galliis consuetudo lege firmata, ut clericis ecclesiæ cathedralis committerentur monasteria ordinanda, ut constat ex canone XVIII concilii Aurelianensis III, anno 538 celebrati, cui subscriptus reperitur S. Albinus Andegavensium episcopus (a) : De his vero, ita sonat ille canon, clericorum personis, quæ de civitatensis ecclesiæ officio monasteria, dioceses vel basilicas, in quibuscumque locis positas, id est, sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus, suscipiunt ordinandas, in potestate sit episcopi ; si de eo quod ante de ecclesiastico munere habebant, eos aliquid aut nihil exinde habere voluerit : quia unicuique facultas suscepti monasterii, diocesis vel basilicæ, debet plena ratione sufficere. Fieri potest S. Magnobodum vi hujus canonis monasterium suscepisse ordinandum ; quin tamen aut ipse monachus esset, aut etiam abbatis titulo gauderet, quem illi neuter scriptor tribuit. Verum quidem est hanc abbatum quasi commendatariorum imaginem reprobata fuisse a S. Gregorio Magno, prohibente Joanni episcopo Ravennati, ne clerici monasteriis præponantur (b), quia nemo potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere : ut ipse monasterio distractionem teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Sed hæc Pontificis ordinatio, quamvis postea in Gratiani Decreto inserta cap. II, Caus. XVI, quæst. I, erat tunc quidem, quando S. Magnobodus Colonensibus monachis præficiebatur, mandatum aliquod speciale ad solum Joannem Ravennatem directum ; quo certe propria alicujus regionis consuetudo convelli non poterat, tunc præsertim quando nulla rei inerat corruptela.

probabiliter
tamen regu-
lam canoni-
cam

23 Hæc tamen non ita accipienda sunt, quasi omnem Sancti nostri cum vita monastica necessitudinem excludere vellem : hoc solum monstrare conor, ex præfectura Colonensi non posse legitime deduci illum fuisse aut S. Benedicti alumnum aut etiam monachum proprie dictum. Verum ideo non nego Magnobodum evangelicam paupertatem, proindeque reliqua regularis vitæ vota substantialia professum fuisse. Nam valde probabile est, S. Magnobodum, a S. Licinio educatum, imitatum fuisse magistrum suum, qui, ut in Vita ejus scribitur ad diem XIII Februarii (c), clericus effectus, soli Domino et spiritualibus fratribus placere satagebat, pauperem et communem vitam ducere desiderans, pompam seculi spernens, omne desiderium suum in divina voluntate ejusque servitio constituit. Qui spirituales fratres, pauper et communis vita institutum regulare sapiunt, sed cum clericatu conjunctum. Atque hunc sensum etiam confirmant Marbodi verba in ejusdem Licinii Vita (d) : Cingulum militiæ deposuit et caducis renuntiavit honoribus, totumque se in Dei servitium tradens, tonsuram clericalem cum professione suscepit. O quantum gaudium de se fratribus dedit ! Quibus Dei laudibus ora omnium adimplevit ! Quam multorum corda in compunctionem, oculos laxavit in lacrymas, cum viderent illam nobilissimæ stirpis indolem, fascibus et divitiis sublimatam, for-

ma præcipuam, gloria præpollentem, contemptis omnibus, Christi jugo generosas inclinare cervices ; et de divite pauperem, de potente infirmum, servum de domino spontanea commutatione fieri. Nemo certe facile sibi persuadebit S. Licinium non fuisse religiosum tria substantialia votum professum ; sed simul etiam fatentur necesse est, hic agi de vita clericali, siquidem Licinius simpliciter clericus vocetur, nulla monasticæ professionis facta mentione. Quod itaque vitæ genus, a S. Eusebio Vercellensi in Occidentem invecum et deinde propagatum, coluerat S. Licinius ante episcopatum, admodum probabile est in Ecclesiam suam Andegavensem aut induxisse, aut jam inductum suis curis aluisse. Proinde probabile quoque fit S. Magnobodum hoc mixtum vitæ genus secutum fuisse, in qua erat, ut ait S. Ambrosius (e) monasterii continentia et disciplina Ecclesiæ.

24 Neque etiam hisce temporibus tam accurate definita erat distinctio inter varios ordines religiosos, illorumque regulas, prout postea fuit. Ipse Mabillonius hoc fatetur in suis Annalibus Ordinis S. Benedicti (f) : Quenam, inquit, regulæ in prædictis monasteriis obtinuerint, colligimus ex Sidonii (Apollinaris) epistola (g) in qua Volusianum monet, ut fluctuantem regulam monasterii S. Cyrilli secundum statuta Lirinensium patrum vel Griniacensium informet : ubi regulæ vocabulum non pro aliqua scripta, ut vulgo, regula usurpatur, sed pro certa vivendi ratione ac disciplina usu recepta in monasterio ; quomodo non raro accipitur apud veteres scriptores rerum monasticarum. Sic, teste Cassiano (h), in cœnobiis orientalibus tot propemodum typi ac regulæ erant, quot monasteria ; quod de monastica seu regulari disciplina, quæ pro nutu præpositorum variabat, non de regulis scriptis intelligendum est. Neque alia forte fuerint tunc statuta patrum Lirinensium aut Griniacensium, quam ritus et consuetudines usu receptæ : quales apud Cartusienses absque scripto vignerent ad Guignonem usque, quintum majoris Cartusiæ præpositum, qui eas in scripta primus redegit.... De Lemoviensibus id unum scimus, quod de Atanensi S. Aredii cœnobia Gregorius Turonensis (i), nempe istic non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, regulas celebratas fuisse. Quippe non una tum erat, ut jam dixi, repetamque sæpius, nec fixa singulorum monasteriorum scripta regula. Plures simul in eodem loco observari mos erat : ex quibus certa vivendi ratio ac disciplina regularis forma pro voluntate abbatum constituebatur ; cæteris, quæ in eisdem regulis ad informandos mores pertinebant, lectioni ac meditationi fratrum reservatis. Unde per illa tempora nec mutatio regularum statum mutabat, nec status forma pendeat ex regulis : quæ cum ad unum scopum ac propositum tenderent omnes, eundem monastici ordinis statum constituebant ; eum ad modum quo varia in eandem regulam constitutiones, ut vocant, unitati Ordinis modo non officunt. Hæc Mabillonius, cujus sententiæ ita subscribimus, ut tamen distinguamus inter monachos vitæ contemplatiæ deditos, et clericos regulare institutum professos, qui vitam activam contemplationi conjungunt et propterea simpliciter clericis vocantur ; quales erant in nostra opinione S. Licinius et ejus discipulus S. Magnobodus.

(a) Labbe tom. V, Conc. col. 300. — (b) Lib. v, epist. I, t. II Oper. col. 727. — (c) T. II Febr., p. 679, n. 9. — (d) Ibid., p. 683, n. 7. — (e) Epist. ad Eccles. Vercell. n. 66, t. VI Oper., p. 213. Edit. Venet., on 1781. — (f) Lib. IV,

§ XI, t. I, p. 95. — (g) Lib. VII, epist. XVII, Ap. Sirmond., t. I Oper. col. 1049. — (h) Institut., lib. III, cap. II. — (i) Hist. Fr., lib. X, cap. XXIX, apud D. Bouquet, t. II. Rec. des Hist. de Fr., p. 382.

A

§ III. Sancti legatio Romana; episcopatus.

S. Licinius
S. Magnobodum
Romam
mittit

Cum S. Licinius in suburbio Andegavensi basilicam in honorem S. Joannis Baptistæ constructam dedicare vellet, misit discipulum suum Magnobodum Romam, ut Reliquias ejusdem Sancti a summo Pontifice impetraret: Quam (ecclesiam) ait Marbodus cum Anonymo num. 4 consentiens, in honorem Sancti Joannis Baptistæ cupiens dedicare, ejusdem Sancti Reliquias a Præsule sedis apostolicæ flagitabat. Hac igitur de causa Romam directus Magnobodus, apud Papam facile quod petiit impetravit; quem scilicet legati sanctitas atque industria quibus pollebat, statim latere non potuit. Nam et ejus modestia delectatus ac moribus, secum aliquamdiu commorari eum præcepit; tandemque apostolica benedictione cumulatum et votis, cum acceptis Sancti Baptistæ pignoribus gaudentem remisit ad propria. *Mire torquet hunc tractum Adrianus Baillet ad xv Octobris, cujus verba gallica latina facio: Misit, inquit, illum deinde S. Licinius Romam ad S. Gregorium Magnum, ut conaretur obtinere aliquas Reliquias Martyrum, quibus ditaret simul et consecraret novam ecclesiam S. Joannis Baptistæ, quam nuper ædificaverat prope Andegavum. Dicitur aliquas retulisse, quamvis in hujusmodi re difficilem sese præberet sanctus Pontifex; sed non admodum verisimile est, illum (scilicet Magnobodum) has Reliquias exhibuisse, quasi fuissent desumptæ ex corpore S. Joannis Baptistæ.*

ad obtinendas
Reliquias
S. Joannis
Baptistæ,

26 Reliquias igitur S. Joannis Baptistæ in Galliam a S. Magnobodo delatas fuisse nullatenus vult Bailletus, nixus probabiliter hac opinione, Sanctorum corporum elevationem, discernitionem aut translationem, ante sæculum novum vix usurpam fuisse; ut videre est in ejus Prologo ad Vitas Sanctorum (a), ubi ait: Illud præsertim sæculum (novum) gloriari potest falsis Actis et corruptis historiis Sanctorum, quorum effrenis licentia summum gradum attingat illa tempestate, qua cooperunt corpora e terra levare, membratim discerpi, et alio transferri, quo latius Sanctorum cultus propagaretur. Non est hujus loci dissertatio de sacris Reliquiis texere: unum sufficit dixisse S. Stephani Protomartyris lipsana jam quinto sæculo et translata, et, ut satis inverecunde loquitur Bailletus, discerpta fuisse: de qua re testis nobis est S. Augustinus in Sermone iv de eodem Sancto (b).

monstratur
que contra
Adrianum
Baillet

27 Redeamus itaque ad verba Bailleti supra citata. Imprimis affirmat S. Magnobodum missum fuisse, ut aliquas Reliquias Martyrum obtineret. Hæc non dicunt aut Anonymus, aut Marbodus: prior quidem habet missum fuisse Romam ut Reliquias a summo Pontifice consequi mereretur, sed quæ in specie sacra pignora cuperet, ex consequentibus manifestum fit, perceptis enim pro quibus ierat, a beatissimo Papa pretiosis Sancti Joannis Reliquiis.... repedavit. Recte igitur Marbodus habet, cum S. Licinius Sancti Joannis Baptistæ Reliquias a Præsule sedis Apostolicæ flagitaret, hac de causa Romam directum Magnobodum fuisse. Nulla igitur Martyrum hic fit mentio: ut quid igitur Bailletus de illis sermonem hic instituit? Nulla alia mihi occurrit ratio, quam quod Bailletus sinceris illis sæculis, Christianismo, ut vult, necdum obscurato,

(a) T. I in fin. § xi, p. xvi. — (b) T. V Oper. col. 1269.
— (c) De Opere Monach., cap. xxviii, t. VI Oper. col. 498.
— (d) Lib. iv. epist. xxx, t. II Oper. col. 708. — (e) Lib. ix.

maluit translationem integri cujusdam corporis, quam discernitionem Reliquiarum pati; attamen hanc conjecturam refutat S. Augustinus numero 28 citatus, qui etiam exprobrans vagis monachis eorum nundinationes sacrilegas: Membra, ait (c), Martyrum, si tamen Martyrum, venditant. Nullo autem verbo perstringit Sancti alicujus corporis dispersitionem.

AUCTORE
J. V. H.

28 Verum est S. Gregorium Magnum non facilem sese præbuisse in distribuendis Sanctorum Reliquiis; quod constat ex ejus epistola ad Constantiam Augustam (d): Cognoscat autem, ait, tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore; sed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum in ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, ac tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur.

etiam isto
sæculo

29 Verum non ita semper brandeis mittendis contentus fuit S. Gregorius Magnus, ut nunquam veras de corpore Sanctorum Reliquias distribuerit. Unum sufficit attulisse exemplum: S. Pontifex misit ad Recharedum, Wisigothorum in Hispania regem, varias Reliquias, ut ipse loquitur (e): præter clavem parvulam in qua inest ferrum de catenis Beati Petri Apostoli, crucem quoque dedi lateri præsentium vobis offerendam, in qua lignum Dominiæ Crucis inest et capilli Beati Joannis Baptistæ. Similiter Antonius Franciscus Frisi in Monumentis Ecclesiæ Madoetienis (f) ostendit non solum olea et brandea, sed etiam ossa Sanctorum a S. Gregorio ad Theodelindam, Longobardorum reginam transmissa fuisse: quod quoque factum comprobatur Justus Fontaninus in sua Dissertatione de Corona Ferrea (g); ubi pluribus ostendit liberalitatem S. Gregorii in sacris Reliquiis largiendis.

et a S. Gre-
gorio Magno

E

30 Non est igitur ratio cur in dubium vocet Bailletus hanc S. Joannis Baptistæ Reliquiarum illationem, quasi res esset quæ fidem excederet: tantoque magis quod absque idoneo testimonio supponat, vivente S. Gregorio Magno, S. Magnobodum Romam adisse: factus enim est presbyter probabiliter anno 603, et deinde Colonienensis cænobii præpositus; neque verisimile est eum primo anno a susceptis sacris Ordinibus Romanam legationem obisse, quod tamen necessarium fuerit ob S. Gregorii obitum in iv Idus Martii anni 604 incidentem. Nihil hic quoque dicendum occurrit, de excusatione, aut potius accusatione, quasi suspicari quis posset sanctum virum Magnobodum, aut ejus magistrum Beatissimum Licinium eo audaciæ processisse, ut Martyrum, fortassis ignotorum, Reliquias quasi de corpore S. Præcursoris desumptas venditarint. Dicendo enim: Sed non admodum verisimile est (Mais il n'y a pas beaucoup d'apparence) illum has Reliquias exhibuisse, quasi fuissent desumptæ e corpore S. Joannis Baptistæ, insinuare videtur Bailletus aliquid suspicionis adhærere B. Magnobodi sanctitati: quasi hujus testimonium in re præsertim obvia non sufficeret, ad factum aliquod historicum asserendum.

particulas
corporis
Sanctorum
distributas
fuisse;

F

31 Narrat uterque biographus S. Magnobodum Romæ consuevisse divinis officiis coram Papa interesse: hinc fortassis nata opinio legationem illam tempore pontificatus S. Gregorii accidisse. Reipsa quidem S. Gregorius cantum ecclesiasticum reformavit, cantorumque scholam instituit: sed cum eadem hæc schola usque ad tempora Caroli Magni perseveravit, admodum probabile est, successores

Memoriter
recitat le-
ctionem no-
cturnam co-
ram Papa.

ep. cxxii, ibid., col. 1031. — (f) Dissertat. II Mem. della Chiesa di Monza, p. 67. — (g) Cap. II, p. 22. Editionis Lips. an. 1719.

AUCTORE
J. V. H.

Sanctissimi Papæ, saltem immediatos, servasse quoque, introductas salutare consuetudines circa celebrationem divinorum Officiorum, et proinde nihil impedire, quominus S. Magnobodus tempore Sabini, Bonifacii Tertii aut etiam Quarti Romæ adfuerit: Dum apud Papam, ait Marbodus (a), merneret, quid ei contigerit non prorsus præmittendum existimo, quoniam et malignitatis reprehensionem et imitandæ diligentia continere videtur exemplum. Dum inter officia nocturnorum, quibus eum Papa familiariter admittebat, ipsius jussu lectionem, ut mos est, in pulpito recitaret, quidam ex clericis palatinis invidia ducti, sicut se habet humana perversitas, quod scilicet alienigena quidam domesticorum partes apud dominum obtineret, et eorum quasi præriperet famulatum, lumen candelæ, quo utebatur, extinguere curaverunt, ut, frustrata intentione, confusus et velut demutatus abscederet. At ille nihil commotus, eodem tenore quo cœperat, memoriter paginam consummavit. Sicque factum est, ut quod illi ad dedecus erat dispositum, in gloriam potius verteretur. Quod hic Marbodus exhibet tamquam imitandæ diligentia exemplum, id Anonymo num. 4 videtur miraculo simile; etenim dicit Sanctum nostrum non solum lumine carnali, quod exterius patet... viguisse, sed etiam spirituali, quod interius spiramine divino candet. Certe si prodigiosi quidpiam recitationi tribuendum esset, insulse satis de imitanda diligentia loqueretur Marbodus. Interim facile mihi persuasero interpretationi Marbodi standum esse, tum quia naturalis est explicatio, tum maxime, quia Anonymi phrasis non absolute miraculum aliquod deprædicat.

Mortuo S.
Licinio

32 Brevi post absolutam Romanam legationem, moritur S. Licinius, anno 606, ut volunt auctores Historiæ literariæ (b). Atque hanc opinionem eatenus tenendam esse, quatenus circa dictum annum 606 obiisse S. Licinium censendus sit, suadet vel ipsum tempus quo S. Magnobodus Andegavensem cathedram conscendit, uti sequentia demonstrabunt. Nostri ad diem XIII Februarii in Commentario prævio Vitæ S. Licinii (c) statuunt circa annum 616 e sæculo migrasse dictum Sanctum, quia nullum certum documentum ejus obitus ante annum decimum octavum ejusdem sæculi repererant. Sed aliquot annis citius obiisse S. Licinium, liquet ex verbis ipsius S. Magnobodi, quibus in Præfatione Vitæ S. Maurilii ad diem XIII Septembris (d), dicit annum decimum suæ ordinationis aut episcopatus concurrere cum anno trigesimo sexto regni Clotarii regis, seu cum anno Christi 619, aut, ut Baronio placet, 613.

circa annum
606,

33 En verba: In Christi nomine, ego Magnobodus episcopus, ac si peccator, ecclesiæ Andegavæ... Vitam Sancti Maurilii episcopi et confessoris, ut rusticitas mea compos fuit, simpliciter planeque, quantum potui, explicavi, in anno decimo ordinationis meæ et in anno trigesimo sexto principis nostri domni Clotharii regis, filii Chilperici regis. Ut igitur accuratius determinetur annus decimus episcopatus S. Magnobodi, proindeque ad tempus mortis S. Licinii propius accedamus, imprimis indicandum nobis, cui anno æræ Christianæ illigandum sit initium principatus Clotarii II. Baronius quidem Chilperici mortem anno Christi 587 (e) innectit, sed nullo, quod asserat, idoneo testimonio nixus: unde merito emendatur a Pagio, qui dicit (f) cædem Chilperici cum anno vulgari 584

(a) Op. Hildeberti, col. 1493. — (b) Hist. de la France lit. t. X, p. 363. — (c) T. II Febr., p. 677, n. 1. — (d) T. IV Sept., p. 72, n. 1. — (e) Ad an. 587, § xxxii. — (f) Crit. Baron. ad eund. an., § vii. — (g) Oper. Hild., col. 1494.

esse certo conjungendum: si igitur ab hoc anno per annos triginta quinque procedamus, ad annum Christi 619 pervenimus, qui cum simul esset annus decimus episcopatus S. Magnobodi, sponte sua fuit Sanctum nostrum anno Christi 609 aut 610 Andegavenses infulas accepisse.

34 His positis, manifestum fit S. Licinium aliquot annis ante annum 616, ut volunt nostri, diem supremum obiisse: quin et probabile est duorum aut trium annorum intervallum fluxisse inter S. Licinii mortem et pontificatum S. Magnobodi: Marbodus enim in hujus Vita dicit (g): Post decessum itaque Beati Licinii, quin statim levaretur episcopus, nihil aliud intercessisse credendum est, nisi quod ipse honorem declinans, tutiusque sibi iugitans contemplationis otio inhærere, quam negotiis regiminis implicari, ut alius substitueretur, obtinuit. Hunc, qui S. Licinio immediate successit, episcopum nominat Gallia Christiana antiqua (h) Cardulfum (aut, ut alii volunt, Radulfum), cujus solum nomen in Fastis ecclesiasticis superest. Verum, ita pergit Marbodus, et illo postmodum Dei dispensatione defuncto, jam satis clarum erat, istum (scilicet Magnobodum) divino judicio postulari. Cum igitur certum sit, Sanctum nostrum anno Christi 609 episcopatum Andegavensem suscepisse: putarem Cardulfo posse tribui pontificatum duorum triumve annorum: unde perspicuum fit, recte S. Licinii mortem versus annum Christi 606 collocari.

D

eiusque
decessore

B

35 Nihilominus in variis Marbodi exemplaribus non una est lectio de iis, quæ Cardulfum attingunt: Cointius ad annum 605 (i) legit: Et illo post modicum Dei dispensatione defuncto; eadem verba habet quoque apographum Bibliothecæ olim Bollandianæ, unde concludit Cointius: Pontificatum Cardulfi, qui post modicum ab obitu Sancti Licinii defunctus est, annum interpretamur. Nihil meo judicio, admissa etiam posteriori lectione, obstat quominus dicatur illud post modicum, ad duorum triumve annorum spatium extendi posse: maxime quia Cardulfus medius fuit inter duos episcopos, quorum regimen sat diuturnum fuit. Deinde Cointius persuasum erat, S. Magnobodum anno 606 infulas Andegavenses adeptum fuisse: quæ quidem opinio falsa demonstratur; ast si vera epocha episcopatus S. Magnobodi illi nota fuisset, profecto vitam S. Licinii, contra opinionem eruditorum omnium, usque ad annum 609 non prorogasset.

Cardulfo,

F

36 Passim scribitur S. Magnobodus anno 606 episcopus factus: ita censent Baillet, Butler et Cointius ad hunc annum (k). Atque hic quidem error manavit ex corrupta lectione Præfationis Vitæ S. Maurilii per Magnobodum conscriptæ. Cointius loco citato, et Gallia Christiana antiqua (l) legunt: In anno decimo ordinationis meæ et in anno trigesimo tertio principis Domini nostri Clotarii regis. Si itaque anno Christi 584, quos is regnare cepit, addantur anni triginta duo, pervenimus ad annum 616, a quo tollendi sunt anni decem, et proinde initio episcopatus S. Magnobodi annus Christi 605 aut 606 statuendus esset. Huic quoque opinioni subscribit Jacobus Longuevallius Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ lib. ix (m). Ex his satis apparet lectionem, quæ apud Cointium et alios habetur, fidem fecisse apud plerosque. Verum, teste Theodorico Ruinart in sua Præfatione ad Opera S. Gregorii Turonensis, num. 80, quem etiam laudant auctores Historiæ literariæ Franciæ (n) in codice

S. Magnobodus
succedit
anno 609 aut
610,

— (h) T. II, p. 115. — (i) Ann. Franc. ad an. 605, § ii, t. II, p. 568. — (k) § iv, t. II, p. 576. — (l) T. II, p. 115. — (m) Hist. de l'Egl. Gall., t. V, p. 110. Edit. Paris. 1826. — (n) T. III, p. 574 et seq.

Vindo-

A Vindocinensi, tunc jam anno Christi 1699 ab annis circiter 600 exarato annus decimus ordinationis S. Magnobodi cum anno trigesimo sexto Clotarii II conjungitur.

ut monstrat lectio codicis Vindocinensis

37 Atque hanc quidem Vindocinensis codicis lectionem aliis præferendam sese suadet tum ipsa manuscripti circa finem sæculi XI aut XII initium exarati antiquitas, tum vel maxime quod in illo sincera reperitur S. Maurilii Vita, qualis a Magnobodo conscripta fuit, dum in multis aliis codicibus reperitur inspersa fabulis, sub Rainone Andegavensi episcopo anno 905 adjunctis, ut videre est apud Mombrinium et Laurentium Surium. Omnino igitur retinenda est lectio Vindocinensis, quam etiam nostri Majores servarunt in Vita S. Maurilii ad diem XIII Septembris (a), ne ulla quidem appressa dubitationis nota. Maneat igitur inconcussum, genuinam esse Vindocinensis codicis lectionem et proinde annum decimum episcopatus S. Magnobodi cum anno trigesimo sexto Clotarii II concurrere, ex quo recte deducitur Sanctum anno Christi 609 aut 610 cathedram Andegavensem conscendisse.

regnante Clotario II, B

38 In narratione Anonymi de electione S. Magnobodi ad episcopatum, illud singulare occurrit, quod, licet coævus, nihil dicat de pontificatu Cardulfi, quasi Sanctus noster B. Licinio immediate successisset. Rem enim his verbis refert num. 5: Illo ita assumpto (id est, Licinio defuncto) plebs Andegavensium tam clericalis quam laicalis, in unum coacervata, parili animo, una cum consensu incliti Francorum regis Dagoberti, filii Lotharii, Magnobodum sibi fieri pastorem adclamare cœpit, omnibus una sapientibus. Pontificatus Cardulfi sat magni momenti videtur, maxime cum in ejus electione humilitas Sancti nostri adeo enituit, ut mentione dignus haberetur: probabile itaque est illa, quæ Cardulfum attingunt, oscitantia librariorum excidisse; quare eadem e Marbodo supplemus, qui sic habet (b): Post diocesum Beati Licinii, quin statim levaretur episcopus, nihil aliud intercessisse credendum est, nisi quod ipse honorem declinans, tutiusque sibi judicans contemplationis otio inhaerere, quam negotiis regiminis implicari, ut alius substitueretur obtinuit. Verum et illo postmodum Dei dispensatione defuncto, jam satis clarum erat istum divino judicio postulari. Communibus igitur omnium votis, cum assensu Dagoberti regis, ad quem successio regni descenderat, electus est. Quod vero spectat ad Dagobertum regem, quasi cum consensu ejus ad episcopatum promotus fuisset Magnobodus jam supra num. 12 refutavimus; et textus Anonymi, qui etiam ad Marbodum manavit, eatenus corrigi debet, quatenus omissis verbis Dagoberti filii, legatur una cum consensu incliti Francorum regis Lotharii: hac enim lectione tollitur anachronismus, quo initium episcopatus S. Magnobodi rejiceretur ab annum Christi 622, quo regnum Austrasie obtinuit, aut potius ad annum 628, quo Dagobertus universa Francia potitus est, et quo proinde Andegavum, in Neustria constitutum, sub suam redegit potestatem.

amulis divinis puni-

C

39 Quamvis unanimi cleri popularique acclamatione S. Magnobodum episcopum electum fuisse narret uterque biographus, fuerunt tamen duo e clericis, qui communi sententiæ refragari ausi sunt: Ambrulfus scilicet et Leobaldus, aut, ut hunc nominat Anonymus, Leudobaudus. Erant hi, ait Anonymus num. 5. presbyteri honore præcellentes... qui nimia obstinatione hanc electionis seriem et statuta populi evertere moliebantur. Causam hujus obstinationis accuratius describit Marbodus, cum dicit Ambrulfum

et Leobaldum ambitionis et invidiæ stimulis agitados. Ex hisce Marbodi verbis concludere licet illos imprimis pro se episcopatus honorem ambivisse, dein contendisse ut alii cuicumque potius hæc dignitas cederet, quam Magnobodo nostro, cujus virtutes suspiciebant probabilius ac timebant. Videntur quoque e senioribus presbyteris fuisse, quibus durum videbatur obedire et subesse juveni, quum Sanctus noster anno Christi 609 solum triginta et aliquot annos complisset. Verum divina illos ultio invasit: Ambo siquidem, ait Marbodus, dextro confestim privati oculo, sinistro sensu restitisse manifesta animadversione convicti sunt. Ita factum est, inquit Anonymus eodem numero, ut et versutus illorum astus mulctaretur, et viri Dei electio nutu Dei signis præcedentibus sanctificaretur.

§ IV. Gesta in episcopatu; obitus; Reliquiæ;

S Magnobodi virtutes in episcopatu præclaras egregie describit Marbodus Anonymum num. 6 secutus: illarum itaque imaginem aliquam hic exhibere placet (c): Qualem vero in episcopatu se gesserit nulli dubium esse potest, quandoquidem et ante nomen rem nominis jam tenebat. Sed nunc maxime ad ipsum insistens, amplioribus sese virtutum cumulavit augmentis: siquidem majus onus majoribus erat viribus sustollendum et amplior honor propensiolem diligentiam merebatur. Neque enim poterat ignorare vir doctus propriam pastoribus non sufficere sanctitatem, nisi et subditorum peccata curaverint: solosque eos conditionis haberi miserrimæ, quibus omnium imputentur errata, sicut e diverso felicissimos merito judicari, qui de cunctorum meritis munerentur. Nullum ergo tempus, nullum desideria locum indulgens, super gregem Domini sollicitè vigilabat, ne qua forte commissarum sibi ovium negligentius errans insidiantis lupi morsibus vastaretur. Ministrabat omnibus in tempore pabula verbi Dei, prout singulorum capacitati congruere videbat: et ad similitudinem boni ducis, cui non sufficit verbo tantum milites cohortari, nisi et manu fortiter egerit, quidquid verbis insinuabat agendum, qualiter ageretur, moribus ostendebat et vita. Secundum apostolicum præceptum, corripiebat inquietos, consolabatur pusillanimes, suscipiebat infirmos, patiensque erat ad omnes (I Thess. v. 14), ut nullius deesset saluti, cum se singulorum necessitatibus coaptaret. Et sicut alius dicit apostolus: Non quasi dominans in clericis erat, sed forma factus gregi ex animo (I. Petr. v. 3). Compassionis et misericordiæ sic abundabat visceribus, ut cum flentibus fleret, cum infirmantibus ægrotaret, cum scandalisatis ureretur, cum afflictis affligeretur. Nec minus et aliorum prospera sua judicans, gaudebat cum gaudentibus, erigebatur cum revallescentibus, applaudebat exhilaratis, recreabatur cum refocillatis.

41 Pauperum vero curam habebat præcipuam, quibus sæpissime cibos esuriens, potum sitiens ministrabat. Denique suarum negligens, aliorum omnium necessitatibus inserviebat; plenus scilicet dulcedine charitatis, non quæ sua sunt, sed quæ aliorum quærens, monachorum, sanctimonialium, seu clericorum collegia sæpius visitando, evulsis illico, si qua inter eos noxia pullulasent, virtutum semina jaciebat, in vitam fructi-

AUCTORE
J. V. H.

E
S. Magnobodus boni pastoris partes

F

egregie implet,

(a) T. IV Sept., p. 72. — (b) Hildeharti Oper. col. 1464. — (c) Ibid. l. c.

ficatura.

AUCTORE
I. V. H.

ficatura æternam; nam et censura vigeat justitiæ, qua delinquentium culpas ferire, et mansuetudinem indulgentiæ presentabat, qua correctis veniam non negaret. Justitiæ invictus amator, munerum vero fervidus execerator, a veritatis tramite nec blandimentis noverat exorbitare, nec minis. In adversis erigebatur constantia, in prosperis humilitate gaudebat. Sed inter hæc ecclesiasticæ actionis tam fructuosa negotia, etiam contemplationis partes exequi non cessabat; in ecclesiis namque frequenter noctibus totis pervigils, psalmis et hymnis et canticis spiritualibus delectabatur, purasque cum lachrymis offerens Deo preces, commisso sibi populo munimen et pacem cœlitus impetrabat: neque enim poterat non exaudiri pro populo, qui et ipsum populum dignum instituerat exaudiri; siquidem assiduo usu excultos, verbisque et exemplis edoctos ad bonitatis amorem converterat, et velut emolliatæ jam et formas admittenti materiæ imaginem subditis suæ religiositatis impresserat.... Tantis ergo ac talibus virtutum charismatibus plenus, bonum Christi odorem longe lateque diffundebat, et in sui laudem etiam longe positorem mentes excitabat et linguas. Accessit ad vitam meritum etiam miraculorum potentia, ut qui meritorum exemplo nolent adduci, signorum ostentis possent convinci. Subjungit dein Marbodius multorum miraculorum narrationem, quæ eodem ordine ab Anonymo quoque referuntur. Cæterum hanc episcopalis vitæ imaginem hic exhibere placuit, non solum ut sua Sancto nostro Magnobodo laus esset, sed etiam maxime ut legentibus in utilitatem et edificationem cederet.

interest concilio

42 S. Magnobodus interfuit concilio Remensi sub Sonnatio, ejusdem urbis episcopo; in qua synodo varia fuerunt stabilita ad utilitatem ecclesiæ Gallicanæ, uti videre est apud Labbe (a). Superscriptio hujus Concilii sequentibus verbis continetur: Concilium Rhemense, Sonnatii Rhemensis episcopi temporibus celebratum, circa annum Christi DCXXX, id est Honorii papæ V, Dagoberti regis II. Ex Flodoardo vero lib. II, *Historiæ Ecclesiæ Remensis cap. v sequentia citat laudatus Conciliorum collector*: Romulfum in episcopatu Rhemensi secutus est Sonnatius, qui synodum celebrasse reperitur cum aliis quadraginta vel eo amplius Galliarum episcopis: ubi etiam Sanctus Arnulfus, Metensium præsul invenitur interfuisse, cum.... Sulpitio Bituricensi,.... Senoco Elosanensi.... Rustico Caturensi.... Magnebodo Andegavensi. Ast epocha concilii Rhemensis, prout in ejus superscriptione exprimitur, cum ætate præsulum in eodem laudatorum stare non potest. Nam anno 626 exulabat jam Senocus Elosanensis, uti nos docet Fredegarius in Chronico (b). Monstrat quoque Pagius in Critica Baronii (c) S. Arnulfum Metensem episcopatum abdicasse aut anno DCXXV, aut tardius anno DCXXVI. Cui opinioni assentiunt Majores in Vita S. Arnulfi ad diem XVIII Julii (d).

Remensi;

43 Tandem Joannes Mabillon (e) dissertatione peculiari probat Rusticum Cadurcensem anno 629 interfectum fuisse, anno scilicet VII regni Dagoberti I in Austrasia. Quod vero idem Concilium non multo citius celebrari potuerit, patet ex eo, quod illi interfuerit S. Sulpitius, cognomento Pius, qui anno 624 primum episcopus creatus fuerat. Sunt quidem nonnulli eruditi, inter quos Pagius (f), qui mallent uno anno citius hoc Concilium celebratum, probabilius quia annus secundus Dagoberti in superscriptione indicatur; sed, meo judicio, non est quod illa

(a) T. V Conc. col. 1688 et seq. — (b) Cap. I. IV. D. Bouquet Rec. des Hist. de Fr., t. II, p. 434. — (c) Ad an. 654, § 1. — (d) T. IV Julii, p. 42, n. 329 et seq. — (e) Vet. Ana-

angamur: nam cum error irrepserit in annis et fortassis in nomine Honorii Papæ, longe facilius cespitaverit superscriptor in numeris Dagobertini regiminis exprimentis. Cæterum inter episcopos Remensis synodi supra laudatos, præter S. Magnobodum, S. Arnulfus inter Sanctos colitur xv kalendas Augusti, Sulpitius vero, qui Pius cognominatur, die XVI kalendas Februarii, uti videre in Actis Sanctorum ad utrumque diem.

44 S. Magnobodi nomen præterea subscriptum reperimus cuidam chartæ, qua S. Lonesgilus (vulgo S. Longis), sacerdos et monachus in forma testamenti publici concedit Hadoindo episcopo Cenomaniensi et ejus successoribus quidquid juris sibi competeat in monasterium Buxiacense. Estat diploma apud Mabillon in Veteribus Analectis (g), ejus superscriptio est: Actum Sagonna malo (mallo) publico. Data VIII kal. Decembris anno LII regnante Clothario rege. Ego Lonesgelus indignus sacerdos et voluntate monachus hanc donationem a me factam subscripsi, et adfirmare rogavi. In Dei nomine ego Medegiselus Turonicæ urbis archiepiscopus peccator deprecante Lonesgelo subscripsi. In Dei nomine ego Magnobonus peccator episcopus rogante Lonesgelo subscripsi. In Dei nomine ego Abbo misericordia Christi episcopus subscripsi, etc. Hanc donationem ratam habuit Clotarius rex, diplomate dato dies VIII quod fecit mensis Januar. anno LIII regni nostri compendio palatio in Dei nomine feliciter, Amen. S. Lonesgeli testamentum ut fictitium aut saltem corruptum habet Jacobus Longueval in Historia Ecclesiæ Gallicanæ (h), quia signatur anno LII Clotarii, qui solum XLV in Francia regnavit. Conjectit quidem, ait laudatus auctor, cujus verba latine reddo, Mabillonius legendum esse annum quadragessimum secundum Clotarii II pro quinquagesimo secundo, qui errore amanuensis adscriptus fuit. Sed hoc etiam dato, difficile sibi quisque persuadebit S. Lonesgilum, qui in pagum Cenomanicum advenit sub episcopatu S. Hadoindi, id est, ut citissime anno DCXXIII, potuisse ædificare monasterium, atque perficere omnia quæ in testamento exponit anno jam quadragesimo secundo Clotarii, quæ etiam mense Decembris conjungebatur cum anno DCXXV. Profertur diploma ipsius Clotarii, qui charta supra dicta confirmatur; sed majorem suspicionem falsitatis movet: nam præterea quod signatur anno quinquagesimo tertio regni, rex vocat S. Lonesgilum sacerdotem, virum inlustrem, qui titulus solum præcipuis optimatibus sæcularibus tribuebatur, quemque sibi ipse adscribit Clotharius. Hæc Jacobus Longuevallius noster.

45 Triplici itaque argumento utriusque diplomatis authenticitatem impetit Longuevallius: imprimis quia male notatur annus regni Clotarii II; deinde quia tempus duorum annorum, quod intercedit inter adventum S. Lonesgeli et fundationem Buxiacensem, breviusculum videtur ad tot tantasque res perficiendas; demum quia contra morem istius temporis Lonesgelo titulus viri inlustri tribuitur. Hæc certe monstrant corruptum esse textum utriusque diplomatis, proindeque utcumque corrigendum esse; sed si propter hujusmodi argumenta falsas aut suppositas dicamus veteres chartas, vix reperientur, quæ momentum historicum præbere poterunt. Ex vitiatas igitur notis chronicis perperam ad falsitatem diplomatis concluditur, ut recte notat Mabillon de Re Diplomatica (i). Quod vero attinet ad titulum viri inlustri S. Lonesgelo monacho ac sacerdoti tribu-

cujus authenticitas contra Jacobum Longueval

lect., p. 520. Edit. Paris an. 1723. — (f) Ad an. 631, § 1. — (g) p. 266. — (h) Hist. de l'Egl. Gall., t. V, p. 11. — (i) Lib. III, cap. I, § 2, p. 221.

tum

A tum, verum quidem est, eidem non convenire, et proin habendum esse tamquam inconcinnum additamentum amariensis male curiosi.

vindicator.

46 Restat difficultas a Longuevallio proposita, scilicet tempus duorum annorum insufficientem videri, ut fundaretur monasterium Buxiaci; sed ipsum diploma consideranti patet, res omnes, seu acquisitionem hereditatam, concessionem partis de villa de Lucduno et reliquis elemosynas sponte quasi sua processisse: quam vero perfecit S. Longesilus ædificationem, tanta non erat, ut vel biennii laborem requireret; ipse enim fundationem suam vocat monasteriolum, cum illud aut solus incoleret, quoniam de consensu reliquorum nulla fiat mentio, aut certe cum paucis monachis; non est ergo quod magnam ædificiorum molem nobis imaginemur; suffecerit pro hujusmodi initiis, rude angustumque ædificium pauculorum ascetarum capax. Probanda est itaque Mabilonii correctio, qua pro annis Clotharii LII et LIII, legendos putat annos XLII, et XLIII. Qui cum annis æræ vulgaris 625 et 626 concurrere debent. Hæc aliquanto latius prosecuti sumus, tum ut sua maneat Sancto nostro Magnobodo subscriptio, tum ut suppleremus omissis a Bollandi nostro in addendis ad XIII Januarii (a). Cæterum S. Longesilus, quamvis secundum aliquam Martyrologia supra dicta die XIII Januarii ejus memoria recolatur, tamen melius ponitur die II Aprilis, qua celebratur in ecclesia Cenomanensi, juxta Kalendarium liturgicum pro anno 1837.

B

Agericum, Pictaviensem archidiaconum, sanna;

47 Inter plurima miracula quæ uterque biographus refert, unum est peculiari mentione dignum, utpote quod indicat episcopum Pictaviensem, de quo catalogi hujus ecclesie tacent. Rem his verbis narrat Marbodius: Archidiaconum Pictaviensis Ecclesie, nomine Agericum, supra dictus vir Sanctus (Magnobodus) familiarem habebat, utpote virum bonæ simplicitatis et religionis non fictæ; nam postmodum suæ merito sanctitatis præfatæ ecclesie dignus præsul levatus est. Is ergo archidiaconus intolerabili dolore dentium vexabatur: quod cum anxie innotuisset episcopo, ille signum crucis dolentibus locis impressit, statimque omnis dolor sedatus est et extinctus. Agericus hic si fuerit Pictaviensis archidiaconus, successor probabilis fuerit S. Leodegarii; atque ab hac dignitate, quæ prima erat post episcopum, cathedram pontificalem conscenderit. Sanctus vero Leodegarius videtur functus munere archidiaconatus circiter usque ad annum 651, quando factus abbas S. Maxentii Pictaviensis per sexennium monasterium gubernavit, vocatus dein in aulam Clotarii III Neustriae et Burgundiae regis; quod quidem postremum neque ante annum Christi 656, quando Clotarius regnare cepit, neque post annum 661, quo ipse S. Leodegarius ad infulas Augustodunenses sublimatus fuit, accidere potuit. Hæc omnia late explanantur atque discutuntur in Commentario prævio Vitæ S. Leodegarii ad diem II Octobris (b). His positis, videtur Agericus demissum a S. Leodegario archidiaconatum accepisse circa annum 661; nam præfecturam monasterii S. Maxentii conjungere cum archidiaconatu vetabat canon XVIII concilii Aurelianensis III quem supra num. 22 citavimus.

C

qua occasione in hujus episcopatum

48 Ast major est difficultas in episcopatu Agerici stabiliendo, quem omnes videntur ignorasse, utpote qui in nullo episcoporum Pictaviensium catalogo memoratur. Hoc etiam accedit difficultatis, quod vix tempus reperiri possit, quo ejus sedes figatur. Non enim probabile est Agericum Didonem in episcopatu

præcessisse: Joannes Pictaviensis interfuit concilio Remensi anni 625, ut videre est apud Flodoardum lib. II, *Historiæ Ecclesie Rhemensis* (c). Didonem vero regnante adhuc Clotario II, id est ante 628 hanc cathedram occupasse, monstrant nostri in Commentario prævio Vitæ S. Emmerammi ad diem XXII Septembris (d). Hinc nullus inter Joannem et Didonem intermedius episcopus statui posse videtur, quamvis auctores Gallie Christianæ (e) S. Emmerammum interpolaverint, nulla, ut judico, probabilitate. Confer Commentarium Vitæ loco citato. Reliquum est ut dispiciamus num Agericus forsitan Didoni successerit: Quamdiu, ait Gallia Christiana (f), præfuerit Dido difficile est statuere; ipsi nihilominus opinantur Didonem usque ad annum 673 superstitem fuisse, siquidem verum sit, quod narrat antiquus scriptor ex Urstio part. II rerum Alaman. ab ipsis citatus: Regem Hildericum, cum per aliquot annos regnasset, a pestiferis conspiratoribus in aula cum uxore sua prægnante peremptum esse: Leudesium vero et Leuthericum cum Franciæ et Germaniæ principibus fratrem ejus Theodoricum regem constituisse, suffragantibus sibi Didone Pictaviensi episcopo, Leodegario Augustodunensi episcopo et Gerino Pictaviensi comite fratre ejus.

AUCTORE J. V. H.

49 Quæ regni mutatio anno 673 cum acciderit, consequeretur Didonem ad hunc usque annum cathedram Pictaviensem occupasse. Cumque deinde sequenti anno Ansoaldus episcopus successerit, ut vult Cointius (g) atque perseveraverit saltem usque ad annum 696, ut habet Gallia Christiana (h), non relinquatur locus Agerico. Verum quæ supra de Didone dicta sunt, quasi suffragio suo Theodorici solium firmasset, unius Anonymi licet antiqui, tamen incertæ ætatis, testimonio nituntur: cum auctores synchroni, producti a Cointio (i), omisso Didone, solum agunt de SS. Leodegario et Gerino fratre ejus, quia hisce eventibus jam præmortuus erat Dido. Esset itaque Agerico qualiscumque locus inter Didonem atque Ansoaldum: nisi quis malit episcopatum ejus post Ansoaldum statuere, seu saltem post annum 696; quo casu, ut familiaris fuerit Sancto nostro Magnobodo, circa medium sæculum septimum defuncto, præfectæ fuerit ætatis quando episcopatus onus suscepit. Sed de hujusmodi divinationibus jam satis egimus.

ejusdem civitatis inquiratur.

E

50 S. Magnobodus, ait Marbodius (k), etiam ultra vitam sanctitatis suæ meritum cogitavit extendere. Considerata itaque loci et temporis opportunitate, in suburbio civitatis suæ cepit ædificare monasterium, exemplo videlicet beatissimi magistri et prædecessoris sui Licinii, in quo servos Dei quanto posset numero, congregaret; quibus et necessaria ex possessionibus suis et redditibus, ad sufficientiam delegaret: ut quia vitam hujus corporis contra naturæ legem perpetuare non poterat, successionem religionis suæ post se victuram in multa sæcula prorogaret. Ædificatam igitur in honore Sancti Saturnini Martyris, primi scilicet Tolosanæ urbis episcopi, sicut optavit, ecclesiam, non solum rebus et possessionibus copiosa ditavit, sed etiam summo decore et elegantia intrinsecus et extrinsecus studuit exornare, ut apte posset dicere cum Propheta (ps. xxv, v. 8): Domine dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ. Siquidem interiores domus parietes alternantibus spatiis museo vestivit et gipso, iconas habentibus depictas et flores: cujus mirifici operis, etiam post tot ruinas, usque ad nostra tempora vestigia permanent in ea; ex quibus manifeste colligi possit, quanta novi ope-

Ædificata ecclesia S. Saturnini, in qua sepulcrum elegit,

F

(a) T. I Januar., p. 1119. — (b) T. I Octob., p. 368, n. 52 et p. 369, n. 59. — (c) Hist. Eccl. Rhem., lib. II, cap. v. Bibl. Max. Patt., t. XVII, p. 533. — (d) T. VI Sept., p. 458, n.

26. — (e) T. II, col. 1151. — (f) Ibid., col. 1153. — (g) Ad an. 674, § 1, t. III, p. 693. — (h) T. II, col. 1114. — (i) Ad an. 673, § XVIII, t. III, p. 661. — (k) Oper. Hild., col. 1502.

ris

AUCTORE
J. V. H.

ris vestitas extiterit, cujus appareat vetustas ipsa mirabilis. At vero extrinsecus aedem totam porticibus vallavit atque columnis, domosque construxit usibus fratrum communem viam degentium necessarias, sed et alias suscipiendis hospitibus, infirmisque recreandis idoneas, ut nihil probaretur ad bonae actionis ministerium defuisse. Hoc monasterium, quod deinde, antiquato S. Saturnini titulo, propter S. Magnobodi sepulturam, ab illo nomen accepit, a statu regulari transiit ad saeculare, constituto capitulo collegiato, in quo erant tres dignitates, octo canonicatus et tredecim capellaniae, ut refert d'Espilly (a).

S. Magnobodus

51 Haec S. Saturnini sive Magnobodi ecclesia, ait Bodin (b), non quidem amplitudine sed certe pulchritudine inter omnes ecclesias Andegavenses eminebat. Destructa fuit anno 1793 ejusque solum privatis aedibus hodie occupatur. Stratam refert idem auctor ecclesiam lateribus rubris interraso lapide albescentibus; nam haec etiam pertinerent ad musivum et gipsum, de quibus numero superiori agi, aliis relinquo judicandum. Idem ornamentum et in aliis Andegavensis pagi tractibus reperiri affirmat scriptor jam laudatus, conjectatque hujusmodi musico totam aedem sive tam fuisse. Superest adhuc pars muri, longa v metris, alta x, cum columna exstante altitudinis VIII metrorum, recentiori structurae implicita.

moritur circa annum 660.

52 Diem emortualem S. Magnobodi statuit Marbodius septimum decimum kalendarum Novembris; cui consensit Anonymus, ut monstrant varia apographa bibliothecae Burgundicae, quamvis D. Beaugendre in Operibus Hildeberti Cenomanensis (c), vitio certe typothetae, diem decimum octavum kalendarum posuerit: mensis enim Octobris non habet diem octavum decimum kalendarum Novembris. Ad annum Sancti emortualem quod attinet, difficilior est investigatio; quum nihil occurrat, quo certum pedem figere possimus. Baillet et Butler dicunt Sanctum circa annum 654 e vita migrasse, quin aliquam suae opinionis allegent rationem: non est igitur cur illorum sententiae adhaereamus. Anonymus solum habet rexisse sanctum Pontificem ecclesiam Andegavensem sibi a Domino creditam per magna annorum curricula; Marbodius vero ad senium usque pervenisse. Cum itaque Cointium secuti, statuimus illum circa annum 574 natum fuisse, facile sibi quisque persuadebit, octagenariam aetatem non attigisse modo, sed et superasse: unde censeo illum ad annum potius 660 accessisse. Si constare nobis posset de ejus successore, de anno, quo hic aut alicui concilio interfuerit, aut diplomati cuidam subscriberet, res facilius definiretur. Qui nunc in opere, quod Gallia Christiana inscribitur, continuando insudare dicuntur, poterunt fortassis accuratiora nobis tradere, quam quae nos ex incertis conjecturis proferimus.

Reliquiae ejus olim Parisiis

53 Sepultus fuit S. Magnobodus, ut habet uterque biographus, in aedificata a se ecclesia S. Saturnini sacra, quae postea, ut dictum est, titulo ipsius S. Magnobodi insignita fuit. Vetera autem monumenta nos non docent, quando ejus corpus elevatum fuerit. Claudius Chastelain, canonicus Parisiensis, in epistola sua ad Papebrochium nostrum data die XVI Octobris 1698, dicit se VII ejusdem mensis jussu archiepiscopi Parisiensis, qui tunc erat Ludovicus Antonius de Noailles, visitasse varias Reliquias Sanctorum in ecclesia, olim S. Bartholomaei, tunc S. Maglorii asservatas, atque inter alias illic reperisse parvulas corporis S. Magnobodi: conjectat laudatus scriptor has aliasque Reliquias datas fuisse

(a) Dict. Géogr. de la France verbo Angers. — (b) Rech. hist. sur Angers, etc. T. I, p. 99. — (c) Oper. Hildebert.

ecclesiae S. Bartholomaei in compensationem pro reditis Sanctorum corporibus, quae propter Normanorum metum ex Armorica Parisiis translatae Salvator Aletensis episcopus (d). Ignotum mihi est, utrum Sancti nostri Reliquiae hodieum Parisiis supersint.

54 Maxima tamen pars corporis S. Magnobodi conservabatur in ecclesia sub ejus invocatione passim cognita. Ast saeculo proxime elapso in finem vergente, quando omnia in Galliarum regno sus deque evertentur, anno scilicet 1793, non tantum ecclesia solo aequata fuit, sed Sancti corpus sub ara principe reconditum, e loco suo extractum et flammis traditum fuit, cineribus dein in ventum dispersis. Haec affirmat testis oculatus Cl. Blordier-Langlais bibliothecae Andegavensis praefectus. Hodie, ut scribit ad me I Martii hujus anni, R. D. Morel, canonicus et episcopali bibliothecae praefectus, aliud de S. Magnobodo non superest, quam particula quaedam sacri corporis, olim thecae in formam brachii effictae, ab anno 1840 basi statuae argentae inclusa. Et hujus quidem lipsani non alia auctoritas habetur, quam quod sigillo episcopali Caroli Montault munitum sit: etenim nullae expeditae fuerunt litterae. Haec omnia documenta summa humanitate nobiscum communicavit P. Carolus Brandicourt, vices tum superioris residentiae nostrae Andegavensis agens, cui pro accurata industria maximas habemus gratias.

D

sed maxima ex parte Andegavis, ubi flammis traditae sunt anno 1793.

E

VITA S. MAGNOBODI

AUCTORE ANONYMO COEVO.

E Ms. veteri et fide digno olim a P. Sirmondo summis et collato cum eadem Vita, edita ab Edmundo Beaugendre inter Opera Hildeberti Cenomanensis.

CAPUT I.

Sancti natales; institutio clericalis; Romana peregrinatio; episcopatus.

Gloriosus igitur atque eximius Christi pontifex Magnobodus in pago Andegavensi, divinis antecedentibus indicibus, nobiliter editus magnis miraculorum fulsit privilegiis. Qui antequam valetudine corporis et loquendi peritiae fugeretur, admiranda in eo collata sunt coelitus virtutum charismata, ut testantur ejus ubique recolenda praecognia. Parentes ejus secundum humanae propaginis genealogiam admodum expectabiles inter eorum cives non mediocre obtinebant dignitatis locum, sub jure Lotharii filii Chilperici consistentes a, qui cum consanguineis suis Theodorico scilicet ac Theodeberto, adhuc intra adolescentiae anno constitutus, exortis undique grandinum simultatibus litem exercebat. Puerperio ergo suo, Christo auspice, praedicti genitores admodum gratulabun-

S. Magnobodus nobili genere natus

* Beaugendre: spectabiles

col. 1487. — (d) Felib. Hist. de Paris, t. I, p. 118, et Mabill. Ann. Bened., t. III. App. II. LXIII.

di

A
* B. variis,
sed

di de nativitate ejus * crepundiis non modicis lætati sunt portentis. Nam, sicut solerti indagine comperit habemus, exordium natalis ejus in ipsa Epiphaniarum die recens extitit, qua auctor vitæ foecunda et intemerata genitus Virgine, a gentibus stella præduce, voluit adorari, et honorari munerum cultibus, nec non Jordanicis ablui lavacris ac lymphâ liquorem convertere in vini saporem, et in ipso concentu gallicinii, quo dieculæ pronuntiari * non ambigitur igniculus, materna mundo Sanctum edidit alvus, ut patenter demonstraretur lucis eum futurum amatorem et præconem, qui talibus indicis suam decorabat nascendo natalem.

baptisatur,
et a naufragio
liberatur:

2 Itaque cum pro diluendis originalibus peccaminum contagiis prædicti parentes ad regenerationis lavacrum deferre studerent pervium, quod eundi ad basilicam copiam ministrabat, artatus Ligeris fluminis dirimebat b, qui dum navali adminiculo meatum * jam dicti annis transire vellet, repente exorta tempestas totam pene salutis suæ ademit virtutem. Insurgunt procellarum nimbi ac immensus vortex pelagi cymbam elidere minatur. Alliduntur remi, remigesque fluctuum impulsione desperationis evadendi periculi noxa deterrentur. Inficitur cunctis horror timoris, ac sola præ oculis formidatur imago mortis; quid agerent nautæ, quo conatu subsidia quærent, immensitas undarum ac syrtes gurgitum denegabant, cum subito, ut credimus, divino nutu sopitis omnium ventorum flabris, inopinata et optata supervenit quies; et qui infestanti discrimine ad perniciem dilabi formidabant, mira et indicibili celeritate omni metu absoluti, animisque gaudio oppletis, littora fluminis sulcantes ad portum salutis pervenere. Perfectis ergo omnibus, pro quibus advenerant, atque ex more completis, ad lares proprios alacres repedarunt.

b
* B. meatu

B

3 Procedente vero ætate, cernentes prælibati parentes generosam filii sui indolem, sacris eum destinantur imbuere litterarum studiis. Traditus ergo scholæ documentis omni intentione, ut ætas illa patiebatur, se in divinis mancipabat exercitiis. Quicquid aure * perceperat intra cordis arcana capaci industria retinere satagebat. Cumque infantie pueritiæque transcenderet curricula pubescente jam annorum incremento, a S. Licinio Andegavensium episcopo, verticis ablata cæsarie, sanctæ Ecclesiæ instituitur officii, ac graduum honore sublimatus ordinis sacri commendatur oraculis. Erat namque illi inter coævos mira diligentia, summa obedientia, non ficta charitas, cernua benignitas, pernox in orationibus, ultroneus in vigiliis, parcimonie commercii illustratus, sanctimonie privilegiis decoratus, doctrinæ cumulis eruditus, sapientiæ lampadibus illuminatus, melliflua sermonis sagacitate delibutus, jugum Christi, quod portantibus amœnum * cernitur, jugiter ferens et onus ejus quod subcollantibus leve judicatur, indesinenter gerens. Cernens igitur jam supradictus Præsul * ejus industriam et admirabilem mentis ejus intentionem, decrevit eum aliquantulum in superiori gradu consistere * et penes se retinere, ut adjutor sui in omnibus foret et exemplis ejus cæteri æmulatores fierent. Siquidem patrem eum præfecit sanctæ congregationi, quæ in cœnobio Colonotensi Christo famulabatur c, ut lucerna in fastigio candelabri sita, claritate luminis magis cæteros illuminaret, et dogmate divinæ ammonitionis paradigma obsequentibus exhiberet.

pie educatur
a S. Licinio,
præfector
Colonotensi
monasterio:

* B. ente

C

B. amarum

* B. addit Licinias

* B. consistere

c

4 Cum autem ipse prædictus beatus pontifex Licinius in suburbio jam prælibatæ civitatis An-

degavensis basilicam in honorem S. Joannis Baptistæ miro opere constructam dedicare vellet, recolendæ sanctitatis virum Magnobodum, ecclesiastici ordinis ministerio promotum accersiens, ad urbem Romam, ubi pignora Apostolorum debita veneratione recoluntur, direxit, ut Reliquias a summo Pontifice consequi mereretur, quibus basilicam moderno cultu insertam consecrare posset d. At ille jussis ejus obtemperans, maturavit iter; ac * beatum Papam urbis adiens causam intimavit profectionis, atque ab eo grateranter exceptus, aliquamdiu cum eo conversatus est. Cujus jussu juxta morem, divina officia ad Misarum solemniam celebrans, contigit ut ad matutinorum * laudes cum Pontifice veniens, psalmorum et hymnorum melodiis interfuit *. At ubi ventum est ut Lectiones secundum Ecclesiæ Romanæ ritum in pulpito recitari deberent, cum benedictione ejus assurgens, lectioni operam dedit, in qua diutius detentus, absque interpellatione * cœpto operi insidens, quidam de circumstantibus livoris facibus accensi (quod dicere nefas est) lucernam quæ visui viri Dei famulabatur extinguere aggressi sunt. At ille allatam * sibi controversiam cernens, constantior factus nihilominus opus quod subsidio lychni aliquamdiu peregerat, carens ejus solamine, corde tenus omne peragens perlegit libri paginam, ut comprobaret Omnipotentis gratia non solum lumine carnali, quod exterius patet, illum vigere, sed etiam spirituali, quod interius spiramine divino candet, plenissime fervere e.

AUCTORE
ANONYMO.
Romam mit-
tatur ad qua-
rendas Reli-
quias S. Jo-
annis Ba-
pistæ:

* B. qui

* B. matu-
nas
* B. interes-
set

* B. interpo-
latione

* B. illatam
sibi ab æmu-
lis

E

e
redux cathedram
Andegavensem
conscendit.
* B. addit a
beatissimo
Papa pretio-
sis
* B. sanctione

* B. divino

F

f

5 Igitur perceptis, pro quibus ierat, * S. Joannis Reliquiis prospero cursu ad venerabilem Licinium Andegavis repedavit Pontificem, ferens pignus affabile. Quod ille alacriter acceptum, ut mente conceperat, intra oratorum moderno opere ædificatum recondens, exspectabili functione * dedicavit: in quo contuberniale collegium monachorum coacervans, juxta normam sanctæ professionis vivere instituit, ac plurima prædia ad opus * Domino ibi militantium delegavit, atque xenodochia ac brephotrophia diversaque mansionum habitacula ædificare procuravit. His ita perpetratis, atque evolutis multorum annorum curricula, cum omnipotens Dominus Præsulem Andegavensem ab hac ærummosa ac caduca vita vellet absolvere, et B. Magnobodum in Ecclesia sua pastorem constituere, infirmitate cogente, viribus cœpit destitui propriis; qui fratrum ad se convocans examina, viaticum petiit et, percepta Sacri Corporis Christi Eucharistia, a discipulis summa cum diligentia terræ conditus est, resurrecturus cum gloria. Illo ita assumpto, plebs universa Andegavensium tam clericalis quam laicalis in unum coacervata parili animo una cum consensu inclyti Francorum regis Dagoberti, filii Lotharii f, Magnobodum sibi fieri pastorem adclamare cœpit, omnibus una sapientibus. Soli duo presbyteri honore præcellentes inventi sunt, qui nimia obstinatione hanc electionis seriem ac statuta populi evertere moliebantur, quorum unus vocabatur Leudobaudus, alter vero nuncupabatur Ambrulphus, sancti Viri adversantes meritis; sed prævaluit definitio generalis adversus flexuosa eorum præstigia; insuper, divino exardescente examine, tanta cæde notati sunt, ut utriusque oculos dextros evidenti experimento amitterent, et nusquam spem comparandæ pristinæ sanitatis adipisci mererentur. Ita factum est, ut et verus illorum astus multaretur, et Viri Dei electio nutu Dei signis præcedentibus sanctificaretur.

6 At vero B. Magnobodus, ut assensus populi

fer ebat

A
quam sum-
mis virtuti-
bus exornat:
* B. omittit
hoc.

ferebat infulam sacerdotalem adeptus, voto om-
nium favente, in cathedra episcopali sublimatur.
Qui ut hoc onus suscepit ovile, continuo ut bo-
nus pastor pro ovibus sibi creditis evigilare cœ-
pit. Ammonebat protervos ut corrigenterentur, per-
suadebat bonis ut in melius augmentando de die
in diem proficerent. Quod verbis edocebat, ope-
ribus demonstrabat; nihil in terris quæ sua erant
quærens, sed quæ aliorum utilitati prodesse
consulens, ægrotantibus opem ferebat, pericli-
tantibus subsidia ministrabat; pauperum visita-
tor, egentium consolator, monachorum, clerico-
rum, ac sanctimonialium curam gerebat, vidua-
rum ac pupillarum sollicitudinem sedulus ex-
hibebat, pro inimicorum versutia orationi instab-
bat, eosque caritatis fœdere mitigari satage-
bat; eloquio conspicuus, mente serenus, pietatis
ac misericordiæ armis circumdatus, justitiæ ac
rectitudinis clypeo munitus, in adversis fortis,
in prosperis humilis, nec terrore terreri potuit,
nec munere frangi, nec blandimentis seduci; in
consilio prudens, in actione vigens, in omni pro-
bitate morum intelligens; deditus jejuniis, elee-
mosynis dapsilis, euangelicis præceptis acclivis,
psalmodiarum canticorumque pervigil concentior ac
totius divinarum Scripturarum seriei non immem-
or: mactabat se ipsum quotidie holocaustum
Domino, ac sese in ara contriti cordis sacrificium
offerebat, ut hostia immaculata fieret et templum
Dei viva intraret. His et his similibus virtutum
gemma adornatus, talis præerat Andegavensi-
bus civibus antistes constitutus Magnobodus; cu-
jus actionis admirandæ si quis agnitor esse desi-
derat, sequens sermo absque mendacii fuce ex-
plicabit.

B
Parisios evo-
catus capti-
vos miracu-
lose liberat:

* B. faci-
noribus

C

* B. deest rei
miraculis
clare: cæcæ
visum resti-
tuit,

* B. ut ponti-
ficis mede-
lam quæreret

7 Igitur tali evidenti approbatione et omnium
assertione B. Magnobodo apice præsulatus de-
corato, præfatus rex Dagobertus, monarchiam
regni Francorum obtinens, comperta bonitatis
ejus fama, ad se Parisios, ubi tunc temporis mor-
rabatur, accersiri præcepit. Cujus jussionibus
obtemperans, non segnis ire perrexit. Dum ergo
intra civitatem ingrediens, valvas transiret, rei
qui in ergastulis irretiti facinore detinebantur,
comperto ejus adventu, vocibus importunis cla-
mantes, beati viri solatia petebant. At ubi audi-
vit miserorum lugubres ululatus eorumque la-
mentabile exitium, misericordia motus, vestigia
pressit quæ in procinctu erant, eundi ad basilicam
orationis gratia. Judicem ergo adiens cer-
nua mente, rogitare cepit ut damnatis veniam
præstaret et liberam pergendi facultatem indul-
geret. At ille ut erat truculentus, responso im-
probo sancti Viri adversans voluntati, sine effe-
ctu abire fecit; qui a funesto contemptu eccle-
siam quo tendebat ingrediens, Christi clemen-
tiam exorabat, ut noxiis copiam eundi annueret,
ac a loris nexuum erueret. Illo sic in prece per-
severante, repente compedes attriti mancisque
contusis aditus carceris, nullo obice impedi-
ente, vincis patuere. Prosiliunt namque et sancti Pon-
tificis advoluti vestigiis, gratiarum actiones re-
ferre cœperunt. Pro quorum salute ille principis
clementiam exorans, optatam absolutionem im-
petravit, ac ne ulterius in tanto facinore depre-
henderentur, comminando interdixit.

8 Sub eodem tempore quidam oculorum lumi-
ne amisso, magnifici viri virtutibus auditis, ad
Andegavensem prædestinavit, duce præeunte,
pergere civitatem, confidens spe integra, ejus
solamine pristinam oculorum suorum recuperare
salutem. Qui intra urbem ingrediens a Pontifice
medelam quærens, dictum est quia infra septa

basilicæ divinis officiis intentus Missarum solem-
nia celebraret. At ille, hoc comperto præduce
quo venerat, ecclesiam gadiens beatum Pontifi-
cem invenit, ut dictum fuerat, in sacris mysteriis,
quem voce importuna clamitans deprecabatur, ut
perditum restitueret lumen. Cujus querimoniis
beatus Antistes misertus, oratione pro ejus inco-
lunitate profusa, peracto Missarum officio, per-
ceptionem Sacri Corporis in os ejus cum benedi-
ctione intromisit; qui continuo omni cæcitate de-
pulsus, acies oculorum, qui per multa annorum
curricula fuerat latebris deputatus, luci resti-
tuitur, atque gratias agens Christi virtute, cum
alacritate mentis et corporis ad propria regres-
sus est.

9 Nec illud silendum autumo quod cuidam
presbytero et bonis operibus dedito evenisse
contigit. Dum enim profluvio ventris laboraret et
intestina ejus morbo viscerum usque ad perni-
ciam vitæ delabi viderentur, jussu quo poterat
præcepit famulis suis, ut quocumque ad Virum
Dei accederent et eulogias h quas dirigere decer-
nebat, ipsi præferrent. At illi jussionibus Domini
sui obsequentes, summa cum festinatione detule-
re quæ dominus eorum præceperat; qui benigne
ab eo suscepti, gratanter accepit quæ ægrotus
direxerat, et primis rem agnoscens, panem ben-
edixit remeantibusque bajulis tribuit jussitque
ut absque dilatione æger ex eo perciperet. At illi
concito gradu revertentes xenia Pontificis domi-
no suo morbo obsessio attulere; quibus acceptis
et in esu sumptis continuo omnis dolor intestino-
rum, refocillatis viscerum fibris, abscedens, Pri-
stinæ restituitur prosperitati agens gratias Pon-
tifici, qui tam eum a pernicio clade eripuerat.

ANNOTATA.

a Quomodo intelligendus sit hic locus et accom-
modandus recte chronologiæ, late monstravi in Com-
mentarii prævii num. 9 et seq., et num. 15.

b Quæ narrantur hoc loco, indicant S. Magnobo-
dum, utpote periclitatum in trajiciendo Ligeri,
quando ad basilicam baptismi causa deferebatur, ru-
ri natum fuisse. Etenim ubi Andegavum Meduana
(Mayenne) imposita ultra leucam cum quadrante
Brabanticam (7300 metra) a Ligeri distat.

c De S. Magnobodi præfectura in Colonetensi
cenobio egi in Commentarii prævii num. 17 et seqq.
Joannes Mabillon in Annalibus Benedictinis lib. ix
§ XXI (Tom. I, pag. 227, Edit. Luc.) de Colo-
netensi monasterio dicit: Cujus situs modo et for-
tuna ignoratur. Quidam tamen subdubitant eo in
loco positum fuisse, ubi nunc Chalonnæ præfec-
tura, vetusque castellum ad Ligerim fluvium,
quatuor leucis infra urbem Andegavorum, via
Namnetensi, ad episcopum Andegavensem per-
tinet.

d Vide dicta num. 25 et sequentibus Commentarii
prævii circa Romanam missionem. Cæterum sacras
Reliquias Romæ expetitas, S. Joannis Baptistæ
fuisse monstrat consequentia sermonis apud Anony-
mum et aperta verba Marbodi.

e Exposui num. 30 quatenus inter se differat
Anonymi et Marbodi narratio.

f Monstravimus num. 31 et sequentibus ordina-
tionem S. Magnobodi non ad Dagoberti, sed ad
patris ejus Clotarii II tempora pertinere; atque
hunc errorem amanuensis sive oscitantæ, sive præ-
sumptioni adscripsimus num. 13.

g Hic videre est, quod jam num. 16 insinuavi,
eamdem basilicam vocari quoque ecclesiam.

h Quamvis Eulogiæ nomine ipsa etiam S. Eu-
charistia veniat, ut habet jam græcus textus S. Pauli

A *I Cor. cap. x v. 16, nihilominus hic loci panem a sancto episcopo simplici ritu expiatum et sanctificatum indicari puto. Utramque significationem late exponit Du Cange in suo Glossario.*

CAPUT II.

S. Magnobodus varia miracula operatur.

*Puerum ma-
ledicum, di-
vinitus puni-
tum, orando
sanat:
* B. deest:
idem*

a

* B. deest:

atque

* B. deest:

cum

* B. pertinacitate

B

* B. semiviventem

* B. remearent

* B. timebant

C

*graviter
agrolantem
leat, et fla-
men, sub-
missa mira-
biliter navi,
transit.*

* B. febili

* B. tumore

* B. debilitatum

* B. Othonense

b

* B. addit:
siquidem

Igitur isdem * summæ Vir sanctitatis dicecesim sibi commissam illustrando atque ammonendo circumiens, pervenit ad quoddam prædium, qui Quartiniacus a vulgariter nuncupatur, quem pueruli garruli in platea conglobati pariter procedentes ei obviam cachinnis ac vocibus debacchantes lacessere non formidabant, ac convitia ludendo * atque nefanda jactabant; quos cum * ille intuens, repente unus ex ludentibus pueris mixtus pulveri omni cum pernicitate * raptus per vasta aëris more globi hac illaque ferebatur. Tunc de sodalibus cum parentibus tristitia metuque profligati per devia quæque sequentibus, ac rupium valliumque anfractus sectantes, nullo proficiebant effectu, excepto labore fatigationis: quid agerent? Consilium demebat casus inauditus et repentinus. Tandem desperatione adacti per invia et dumosas tramites fatescentes, reperiunt puerum inter condensa veprium semianimem * et vix exilem anhelitum trahentem: quem parentes cum magno gemitu pallio involutum, et pene cunctis artubus discerptum in præsentia sancti Viri obtulerunt, ac poplitibus flexis exorare coepere, ut doloribus filii sui compati dignaretur; quibus præcepit ut intra septa ecclesiæ puerum ponerent et Domini clementiam pro eo supplicarent. Verum denuo abscedente turba ad ecclesiam prædicti parentes moerentes * comearent, valentem puerum invenerunt, quem defunctum sperabant *. Tunc vir Domini apprehensa manu pueri, ex aditu porticus levavit, et sanum et vitæ præpotem reddidit parentibus, retribuens bona pro illusionem sibi illata. At illi gratulabundi genibus ejus advoluti vota referentes, ad lares proprios remeavere.

II At vero quidam vir, Theudegesilus nomine, nimia ægritudinis incommodo laborabat, quem nulla medicorum ars nec fomenta salubria ad sanitatis profectum reducere valebant. Cum autem ita morbo attritus, spem omnem recuperandæ pristinae valetudinis abolitam haberet, memor præfati antistitis beneficii, ad ejus se deferri voce * debili poposcit obtutus. Quem ille intuens diræ ægritudinis rumore * debilitatu * ad Christi suffragia conversus, orationum munia pro eo omni cum instantia fundere studuit. Sicque, divina favente clementia, ab omni molestia corporis erutus atque sanitate adeptus, qui grabato usu alieno bajulatus fuerat, proprio ac libero arbitrio ad sua repedavit. Operæ pretium est referre et illud quod multi asserunt, miraculum. Rediens namque venerabilis pontifex cum agmine discipulorum e vico cui Othoniense b * vocabulum est, ut tenderet ad suæ mœnia urbis, ad oram fluminis cum accessissent, contigit eventum divino, ut credendum est, non adesse navale solatium, quo tute possint transmeare fluvii alveum; * linter citra amnem sita videbatur, sed deerat qui ejus utilitatibus consulens præsentia ipsius conducere conaretur; qui more solito ad orationum solemnia confugiens, diu in prece

commoratus, repente prora ex loco, in quo annexa tenebatur, exiliens, absque remige, nullo compellente, ad littus, in quo præstolabundus aderat, votis omnium parens natatu devehitur. Qui omnipotente Domino, qui voluntatem timentium se facit et deprecationes eorum exaudit, gratias rependens cum universo comitatu suo nobili, in eum descendens ad locum quo tendebat et voluntas dirigebat, prospero cursu lætabundus pervenit.

12 Interea erat quidam æger nomine Mumolus, qui quartano februm typo graviter infectabatur et diu macerationis molestia afficiebatur; quotidie enim * cum * hæc sæva pestis miserabilem languidum graviter vexaret, et nulla penitus remedia adipisci posset, morbo urgente ad mortis confinia compelli cœpit: jamque in suprema vitæ constitutus virum Dei per internuntios petit, ut sui misereri dignaretur, qui ejus inremediabilibus doloribus compassus, oleum sacra benedictione sancitum ægroto direxit atque ungi præcepit: quo accepto, ut est delibutus, fugata cuncta languoris materia, sanus redditus multis denuo vixit annis. In eodem quoque pago Andegavensi puella quædam nomine Baldetrudis morabatur, quæ ita erat lumine oculorum abdicata, ut omni desperatione addicta spes videndi in perpetuum denegari videretur. Cujus parentes orbitati condolentes, in conspectu sancti Patris Magnobodi statuentes supplici animo rogabant, ut opem medelæ suæ natæ conferre dignaretur. Quorum petitionibus aurem accommodans, fidemque eorum cernens, ad orationis munimina conversus, cernuus Dominum exorabat, ut lumen puellæ restitueret, qui ab exordio nativitatæ suæ * editum curaverat cæcum. Illo itaque in hac ita perseverante prece, paullatim cœpit puella clausis palpitare luminibus, donec omni cæcitate depulsa, ad integrum sortita lucem, viatico proprio parentum attigit fores.

13 Sed inter ista, quidam cognomine * Doniolus longæva obsessus infirmitate, manum arefactam absque operis negotio ferre * assuetus erat; sola namque figura hujus artus inerat, sed efficacia roboris et sensibilis vigor absens, velut sarcina alicujus materiæ illi adhærebat. Agnitioni itaque præcellentissimi Viri præsentatus, olei * fomento benedixit ac arido mandavit ex eo se perungi, qui salubri medicamine linitus, extemplo virtus membrorum virentibus venis, ac in robore coalescentibus nervis, redire cœpit, omnique compagine soliditatis insertus, comite valetudine, ad sua repedavit ovanter.

14 Quid autem referam de ineffabili Divinitatis miraculo, quod per eum Omnipotentis gratia operari dignata est? Nam cum tempore quodam, urgente famis inedia, ad virum Dei, ut illi consuetum erat, agmina pauperum undique ex diversis locis confluerent, et ipse more solito, ut dapsilis largitor, absque reprocrastinatione cagapem faciens, necessaria erogabat; qui cum in stipendiis eorum non modicum nummorum suppleret numerum * et alendo non deficeret, usque ad satietatem omnes refecti sunt. Quibus cum alacritate euntibus, clientuli pontificis summam nummorum indagantes, quæ fuerat in cibis egenorum distributa, duplicata repererunt quæ erogando consumpsissent; qui admiratione attoniti, ad eum accedentes, ut res erat, innotuerunt; siquidem centum quinquaginta amplius inventi sunt, quam in sumptu egenorum distributi dinnerarentur. At ille non elationis typo elevatus, suis meritis adscribens, sed clementiæ Dei impunitans, ex intimo cordis antro gratias agens, om-

AUCTORE
ANONYMO.

*Quartana
periculose
laborantem
et cæcam sa-
nitati resti-
tuit:
* B. autem
* B. deest:
cum*

E

* B. deest:
sua

*oleo benedi-
cto manum
aridam vege-
tat:
* B. Dom-
nitolus
* B. fere*

* B. fomen-
tum

F

*duplicatur
illi pecunia
in pauperum
cibum, fam-
is tempore
expensa:*

c

* G. ad alen-
da

AUCTORE ANONYMO. nino sub silentio tegere jussit; cavebat enim jactantiae vitium.

paralyticae et caecae sanitatem obtinet.

15 Hoc itaque prodigio Viri Dei meritis ita patefactis, denuo aliud subsequitur. Mulier etenim quaedam paralyti morbo irretita a notis praefato pontifici in grabato defertur: quae ita erat omni compagine artuum dissoluta, ut omnibus officiis amissis solus vitalis spiritus anhelare absque negotio videretur: quam vir Domini intuens, misericordia motus, altissimo regi pro ejus recuperatione preces offerre studuit; quibus completis, ad mulierem accedens, apprehensam manum illius ab imo elevare praecipit. At illa absque mora consurgens, omni languore fugato, incolumis reddita est; sicque nullius indiga solatii, cum inopinato gaudio ad sua reversa est.

* B. abest nomine

* B. aditus

* B. affines

B

* B. sanandum

* B. et

*dentibus laborantem signo Crucis, energumenum exorcismo, aridam manum oleo benedicto sanat: * B. molestia clanculo pontificem*

Non longo post tempore caecus quidam nomine * Lodoveus, orbitatis latebrarum nodis irretitus, vitam ærumnosam cum exitio ducebat, qui tale addictus * penuria, toto nisu flagitabat, ut absque dilatione pontificis praesentaretur conspectibus: quem ad finem * importunis ejus acclamationibus tædio affecti, ad medicum saluberrimo fomento sanantem * adducere compulsi sunt. Pro quo orationi incumbens, ut est * perfusus facie lacrymarum imbre, fugata caecitatis nocte ac sole adveniente, optatum caeco restituit videndi munus.

16 Præterea archidiaconus quidam Pictaviensis ecclesiae summæ simplicitatis vir nomine Agericus, nimiam beati viri ob sanctitatis suæ privilegia clientelam possidebat. Hic cum enormi dentium cruciaretur molestia, clementem pontificem * adiens innotuit lugubri relatu immensitatem discriminis, quam patiebatur intra antra oris; cujus doloribus sæpe dictus Pontifex compassus signum sanctæ crucis recolendum super dentium fauces imprimens, ab omni incommoditate ora absolvit. Ita sanitatis titulo præmunus, ad locum, de quo venerat æger, rediit alacer: qui demum meritorum suorum interveniente opinione, præsulatus apice decorandus ab universis eligitur pontifex plebis ad regendum sanctæ matris Ecclesiae statum *d*, ut postea declaravit eventus, dignus Deo et actione conspicuus. Sub eodem ferme tempore homo qui nuncupabatur Nannenus, ex prædio Vermemiteni * *e* procreatus, omnium impugnatione dæmonum infestatus vexabatur diutius, qui nimium loris et vinculorum concatenatione omni corpore * nodatus, ad virum Dei adducitur ita mente fraudatus: qui cernens plasma Christi cruore redemptum, ita inimici fraude obsessum, altius ingemiscens ad omnipotentis * Domini confugit adminiculum, suppliciter deprecans, ne hostis pertinax potestatem suæ teterrimæ dominationis in homine exerceret, pro quo ad terras veniens, mortem subire non horrerat. Quid multis morror? Oratione expleta mox ut sanctus Vir perduelli versuto nutanti * in corpore communitatus est, ut ab imagine Christi * velociter abscederet; ille statim ac nihilum redactus suis præstigiis ex obsessio decedens, dæmoniaco mente recepta, totius valetudinis expertus cum benedictione Pontificis regressus est. Nec illud silendum censeo, quod * puellæ ex agro, quem * vulgo Cabariacense * *f* vocant evenisse contigit. Ea etenim, ut omnibus qui tunc temporis superstites aderant satis compertum habetur, molestia insectante, manum dexteram amiserat, quæ longo intervallo temporis hanc injuriam membrum * bajulans, petitione ejus impetrante, ad beatum sæpe prælibatum delata est Pontificem; qui oleum sacræ benedictionis munere insertum, dextram

d

* B. Vermemiteni

* B. tempore

* B. omnipotentem

* B. versuto nutantui

* B. Dei

* B. addit cuidam

* B. quod Cabariacense

f

* B. membri

puellæ perungere sanxit: * quo omnium infirmitatum nexibus erepta, jussu pontificis * sanitati compar ad sua repedere valuit incolumis, magnificans Christi virtutem, sanctique Viri a Domino concessam hujusmodi facultatem.

D
* B. addit a
* B. sanitatis
compos

17 Ergo si cuncta et per singula hujus sancti viri Magnodi referre voluerimus quæ vivens in corpore gessit miracula modum * libelli enormitate excederent; sed ea solummodo quæ relatione multorum comperta sunt, ut modicitas nostri exilis fontis prævalet, breviter elucubrari ratum duximus. Nam interius et exterius virtutum floribus candens, magnis pollebat scientiæ privilegiis: pro ovis siquidem sibi creditis sollicitus erat, ne ovile ab antiquo perduelli patefacto, aliquid detrimentum Christi grex sustineret, pro quo ipse pretiosum sanguinem fuderat. Contra astum præstigiarium rapidi leonis, quærentis quem devoret, solers evigilabat, et omnes pedicas ejus pervigili * instantia transiliebat. In domo namque patris-familias constitutus, mensuram tritici commissam conservis erogans, pro salute et augmento ovilis sibi crediti sedulus pernoctabat, ut cum Dominus adventum suum notificaret, non dormientem, sed vigilantem inveniret. Ideoque magnopere orationis supplemento intentus ut status sanctæ Dei Ecclesiae conservaretur, exorabat mente indefessus. Inter cætera vero opera quæ diatim exercebat, sacrificium Domino offerre peculiare suum erat, in quo se ipsum in ara contriti cordis indesinenter mactans, hostia viva Domino fiebat: ac Sanctæ Dei Genitricis omniumque Sanctorum memoriam * faciens, charismata Sanctæ Eucharistiæ cernua prece sumens, pluribus exinde præbebat medellam ægrotis, ac salutem periclitantibus, nec ullo obstante obice algoris aut itineris aut cujuslibet necessitudinis omittere voluit. Psalmorum vero, hymnorum canticorumque spiritualium concentibus tam diurnis quam nocturnalibus horis ita deditus erat, ut absque his nihil operis exercere videretur *. Nec non Pentatheuci totiusque historiae non immemor, seriem divinarum Scripturarum mente sagaci retinebat. Jejuniis autem ac parsimoniam cultibus illustratus, augmentabat abstinentiæ normam: siquidem in diebus quadagesimæ observationis solus in cellula conclusus, solo pane et aqua contentus, et ad mensuram ponderis hoc percipiens, cum magna egestate vitam ducebat. Carnem ergo suam ista gravi penuria atque inedia edomabat, ut assidue cilicio contactus, hirtum ferret tegimen.

Pro grege suo sollicitus
* B. nondum

* B. prævigili

E

* B. commemorationem

* B. videbatur

F

18 Pauperum egenorumque ac peregrinorum sedulo memor fiebat: atque hunc orphanum patrem vocabant, pupilli ac profugi consolatorem clamitabant. Nam stipendiis ejus alebantur, opibus pascabantur ac vestimentorum adminiculis tegebantur. Si quis aere alieno oppressus ac necessitatis inopia præventus, ac ingratus quisque solatium ejus expetere compulsus est, sine reprocrastinatione invenire meruit quibus indiguit. Infirmorum cura ante omnia illi adhærebat, illorumque sollicitudinem mente vigili refovebat. Si morte urgente quisquam exitum consecutus est, ejus exequiis interesse studuit; et si necessitas exegisset, ex propriis sumptibus sepulturæ traditus est. Et quid plura? Omnia omnibus factus erat, ut omnes lucrificeret. Sed tempus postulat, ut ad narrationis seriem styllum * reducamus et quæ omisimus sancti Viri narrando merita interiorius latentia explanando, ad ea revertamur.

* B. excubat.

* B. abest reducamus et quæ omisimus... interiorius

A

ANNOTATA.

a Quaterniacus, apud Marbodum (a) Cartiniacus, locus, quatenus ad diocesim Andegavensem pertinet, est mihi plane ignotus: nisi forte fuerit aut Chartrenay vel Chartrené in districtu et pago Balgiensi (Arrondissement et canton de Baugé); aut vicus Querré in pago novi-Castri et districtu Segredensi (Canton de Château-Neuf, Arrondissement de Segré). Reperiuntur quidem vici, quorum nomina magis latinæ vocis cognata videntur, scilicet Cartigny; sed hi inter Normannos, Ambianos et Gebennenses siti, ad episcopatum Andium spectare non possunt.

b Othoniensem vicum, seu ut scribit Marbodus (b), Othomensem in Andegavensi tractu non reperi. Est vicus quidam, hodie Oudon dictus, medius fere inter Andenesium (Ancenis) et Namnetes, sed credo eundem semper ad jus Ecclesiæ Namnetensis spectasse, cum ipsum Andenesium ejusdem esset diocesis. Est tamen in pago Andegavensi ejusdem nominis rivulus, quem Udonom vel Utonem lubens appellarim; num forte, ut saepe fit, vicus cognominis rivulo impositus fuerit, divinare non vacat.

c Agapen eleemosynam indicare, pluribus exemplis monstrat Du Cange.

d De hujus Agerici episcopatu actum fuit in Commentarii prævii num. 46 et sequentibus.

e Prædium, quod Anonymo est Vermemiticense aut Vermentense, Marbodo appellatur (c) Vernantense. Quam postremam lectionem probandam censeo: est enim in hodierno episcopatu Andegavensi vicus cum succursali ecclesia nomine Vernantes, in districtu Balgiensi et pago Longuæ.

f Quem agrum Cabariacensem aut Cabariensem appellat Anonymus, hic Marbodo (d) est Caprariensis; ast nihil simile inter nomina Andegavensia mihi reperire licuit.

CAPUT III.

Continuatur narratio de miraculis.

Oratio oratione et imperio sanati.

C

Sanctimonialis quædam nomine Procula gravem ægritudinem incurrerat, ita ut etiam ferme usque ad periculum vitæ addictam se fateretur. Hæc pro religione propositi sui homini Dei bene nota, frequenti petitione poposcit, ut ab ipso visitari mereretur; cujus orationibus ille adminiculans, dicta vespertina synaxi, famulam Dei invisere decernens, preces omnipotenti Domino pro ejus prosperitate profudit; quibus peractis, imperante sancto Viro continuo discessit ab ea omnis morbus infirmitatis, ita ut postea multis incolumis viveret annis.

20 Sed sunt quamplurimi invidiæ ac malitiæ rancore * ita inlaqueati, ut unde exemplum bonæ actionis ac vitæ propositum sumere deberent, nequitia suæ exardescitibus tribulis, ad perniciem sui exinde deteriores fiunt. Et ut enucleatius aperiamus, quidam regimen abbatis tenens, non tantam * curam ipsius officii, ut congrueret exercens, cognomento a Eracleus, beati antistitis Magnobodi virtutum insignia cernens, felle livoris irretitus veneni haustu eum perimere conatus est, virosque malitiæ sui sceleris conscios corrumpens, clandestine Viro Dei poculum mortis propinari jussit: quos ille ad se venire conspiciens intellexit, divina providentia demonstrante, præstigia eorum mortifera, ac memor euangelici

Eracleus veneficus divinitus puniatur.

* B. et ran-

coris

* B. lamem

a

præcepti: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, omnem humanitatem eis exhibuit in cibo et in potu. Post refectonem vero ad se accersens, cœpit eis monita salutis adhibere, atque persuadere ut a tali nefanda ac vitanda versutia secederent, ne velut fratricidæ exitio pari inferendo æternæ maledictionis mucrone barathri mulctarentur. Cumque his et ejusmodi sermonum persuasionibus lethiferos exhortaretur, et ut ne serpentis controversiam, sed columbæ simplicitatem imitarentur, admoneret, dato pacis osculo abire fecit indemnes. Et * illi pudore simul ac metu perculti, ad eum a quo directi fuerant, reversi intimavere ut res erat: qui ubi fraudes suas flexuosas intellexit denudatas, percita perturbatione perterritus limina B. Martini Turonis * fugabundus adiit, latibulum quærens; sed cum sæpissime proditor a veridicis argueretur, et quæ egerat, in palam notarentur subjurejurando innoxium se ab hujusmodi execrabili facinore fatebatur. Sicque in duplici reatu dilapsus, in homicidii scilicet noxa et figmento perjurii, ultionem divinæ animadversionis consecutus est: nam ulcere diro percussus in fronte tam diu extabuit, ut nulla ars medicorum salubria adhibere possent, atque hoc ita vulnere atro diutissime attritus, * mortem inopinatam incurrere meruit, qui vitæ sancti Viri insidiator extitit. Sicque eo liberato ab æmulo, misericordia Christi favente, quantum pollebat virtutum donis declarabatur successibus prosperis.

AUCTORE ANONYMO.

* B. At

* B. abest: Turonis

E

* B. atrectus

21 His ita transactis, puella quædam in urbe Roma, nobilissimis orta natalibus, triennio a februm invasione intolerabili afficiebatur cruciati; cumque incurabilis ab omnibus hæc dira pestis videretur, pene jam usque ad exitum dilapsa, auditis miraculorum signis quæ intra Gallias Christi potentia a Sancto gerebantur Magnobodo Andegavensium episcopo, cœpit ejulatu clamitare, ut ad Virum Dei curanda adduci mereretur; cujus importunam querimoniam consanguinei non ferentes, longævum iter arripientes, transeensis Pennarum Alpibus, atque horridam et asperam viam secantes, Gallias adire: qui ut * Sanctum pontificem Andegavæ residere cognoverunt, celeri cursu ad eum properantes, divinis Missarum solemnibus intentum invenerunt, et protinus causas itineris fessabundi innotuerunt; quos ille benigne suscipiens b, Dominici Corporis mysterium, quod sanctis manibus tractabat, in os puellæ intromisit: quæ absque mora veneno diutini languoris deposito, pristinaque sanitati concessa, lætabunda cum comitibus ad Urbem qua venerat regressa est.

puellam Romanam a triennali febre liberat.

* B. addit: ubi

F

b

22 His diebus erat quidam Abbas, vocabulo c Nulphus, qui cœnobium, in quo Sanctus Albinus d, olim Andegavensium antistes, corpore quiescit, secundum normam sacre religionis regere sategebat, qui diræ morbo podagræ usquequaque obsessus ab omni officio manuum extorris permanebat. Quamobrem e adelphi et clientuli ejus molestia circumdati, ignorabant qualiter patris sui pressuris subvenirent. Ut autem sacerdoti notum factum est, sicut moris erat ægrotos visitare, ad eum visitationis gratia ire perrexit, quem in magna anxietate constitutum considerans, orationis voto completo, eulogias sacra benedictione decoratas, ut sumeret æger, adhortatus est: qui ut ubi cum fide percepit, continuo omnis molestia, quæ eum invaserat, ab eo recedens, totius corporis valetudinem * expertus est; ac grates rependens pontifici, multis deinde annis præfato cœno-

Nulphum podagricum curat:

c

d

e

* B. valetudinis omisso corporis

(a) Beaug. Op. Hild., col. 1496. — (b) Ibid., col. 1497. — (c) Ibid., col. 1499. — (d) l. c.

bio

AUCTORE
ANONYMO.

*Dodonem ul-
cerosum pa-
ne benedicto,
* B. abest:
morbi*

f

* B. visu

* B. percep-
tum

* B. abest:
est

*Romulum
alium tri-
duana ora-
tione et com-
munione,*
B

*mulierem
caecam pane
benedicto sa-
nat;*

C

*duas puellas
pariter ca-
cas, illumi-
nat.
* B. Addan-
tur*
g h

bio regimine praefuit, serviens Domino cum devo-
tione.

23 Ac non multo post homo, nomine Dodo, ab
ineunte aetate indicibili subreptus languore, diu
morore morbi * afficiebatur ulceroso f, qui cum
ita tabefactus redderetur, ad memoriam rediit
quae diatim a sancto gerebantur antistite Magno-
bodo, arcessitumque unum ex vernaculis sibi pa-
rentibus, ad eum quantocius properare jubet,
hortaturque nisu * supplicii, ut caussam suae infir-
mitatis illi innotesceret, et benedictionis munus
ab eo perceptae ipse deferret. Et ille ocius pera-
grans, ad Virum Dei accessit, narravitque rem
adventus sui : a quo panem benedictione consec-
ratum sumens, non segniter repedans, detulit
domino suo, pro quo ierat xenium salubre. Ex
quo cibatus est * illico divinam sensit adesse vir-
tutem : siquidem incommoditas longaeva rece-
dens, in robore convalescens, jocundiori dehinc
praemunus est sospitate.

24 Per idem tempus quidam archidiaconi ho-
nore praelatus, Romulus nomine, in Aquitaniae
ortus confinio, a quadam impedimenti molestia
sex annis arctius tenebatur adnexus. Cum vero
nulla spes adipiscendae sanitatis arrideret, tan-
dem divino instinctu, Antistitis famam eximii,
longe lateque diffusam cum agnovisset, ad eum
accedere Andegavis mente integra non piguit :
atque ubertim flens exorabat pontificem ut sui
misereri dignaretur : cuius angori ille compati-
ens, ut erat omnimodis misericordiae deditus,
admonuit ut a Domino quaereret salutem, cui
absque eo non poterat subvenire humana medi-
cina ; ipse vero cum eo per triduum orationi in-
cumbens, quotidie divina mysteria pro imbecille
celebrans, Eucharistiae communicavit ; quo facto,
fugata omni immunditia morbi interius latente,
cum gratiarum actione iter, quo venerat, laetan-
ter regressus est.

25 Magna sunt quae supra commemorata sunt,
sed adhuc majora inserenda sunt. Dum etenim
hominis Dei celeberrima ubique divulgaretur fa-
ma, magnates caeterique sanctitatis arce pollen-
tes, ejus clientelam appetentes, nimio venera-
bantur affectu ; aut si qua itineris necessitas aut
casus subrepuisset incautus, ejus benedictionis
eulogias ab eo perceptas, quasi pro armis secum
deferentes, protegi se confidebant. Unde accidit
ut Pater cujusdam sacri coenobii, nomine Marti-
nus, pro necessitudine monasterii sibi commissi
sollicitus, Bordegalensem adiens pagum navali
commercio, hospitandi gratia ad cujusdam mu-
lieris lares caecitatis orbitate defessae, divertere
curavit ; qui mulieris detrimenta considerans ac
memor beneficii hospitalitatis, munera gratuita
panis, quae pro benedictione, ut diximus, secum
detulerat, jam vespertina hora irrumpente, mu-
lieri tribuens, ut cum devotione perciperet impe-
ravit : quo sumpto, noctem in oratione cum ea
pervigilem ducens, ut aurora diei illuxit, simul
cum noctis caligine fugatae sunt oculorum late-
brae ; cum jubare diei corusco lux quoque visuum
irradiavit propatulo ; quod cernens familia, tanti
novitate miraculi attonita, fit strepitus maximus,
collaudans Christi virtutem ac benignum hospiti-
is medicum. Ergo hic talis praefuit, sicut in
hac scedula absque fuce mendacii recitamus saepius,
talis utique absens talis in ferendo opem
praesens.

26 Adduntur * itaque miraculorum insignia,
quae inserantur in pagina. Ex praedio ejus g Ca-
bariacense vulgo vocabulum est, quamdam puel-
lam in puerilibus lustris constitutam, nomine h

Baudomellam, caligo inremediabilis lumen ocu-
lorum obduxerat ; quae solamine alterius ad bea-
tum Pontificem adducta, exoratum est ut opem
misericordiae dignaretur impertiri. At ille invo-
cato Sanctissimae Trinitatis ineffabili sacramento,
crucisque trophaeo super ipsam inserto, favente
superno solamine, clarius lumen puellae reddi-
tur, quod nusquam a crepundiis exordii sui adepta
fuerat. Subsequitur deinceps aliud simile, de quo
disserendum est, miraculum de adolescentula scilicet,
nomine Godelena quae intra annos pubertatis
detenta caecitate ac tenebrarum visuum acie te-
nebrarum potiebatur nocte *. Hae a notis insi-
nuata Christi sacerdoti, sola unctione olei ac
crucis effigie catechizata, sine dilatione perspi-
cium recepit lumen, quod permultorum dierum
orbita fuerat tectum.

* 27 Paulo post * quoque evidenti declaratur fa-
ma. Mulier etenim, quae nuncupabatur Goda-
nimium eadem atra afficiebatur caecitate. Proti-
nus ergo alieno usa adminiculo conspectibus glo-
riosi praesulis praesentatur Magnobodi ; quae ma-
gnis cepit clamare vocibus ut sui misereretur
confessor excellens. Cujus querimoniis commo-
tus, liquamine olei benedicti mulieris orbis lu-
minum perunxit ; quibus delibutis * expulsae sunt
tenebrae, adveniente inopinatae lucis die. Sub
eodem quoque temporis articulo, quidam ado-
lescens ad juventutis florem maturans *, antiquo
perduelle insidiante, qui mille per meandros *
decipit hominum corda, arreptus ab ipso nimium
fatigabatur ; qui undique loris ac vinculorum no-
dis attritus, ad virum Dei adducitur, ita mente
privatus ; at ille imaginem Christi cernens a praedone
invasam, perditamque recuperare cupiens,
secus cellulam, in qua manens orationi vacabat,
persistere jussit, quem cum toto Quadragesimali
tempore penes se detinens, orationibus precibus-
que pro eo Dominum exoraret *, adminiculante

Domini virtute, fugato pervicaci hoste, curatus
est ; menteque recepta, sensusque vivaci augmen-
tatus, ad propria unde coactus advenerat, ultro-
neus regressus est.

28 Adjiciam * etiam et illud famosum, quod
post egit miraculum. Siquidem ex villa, quam i
Corniliacum nuncupant, puella tribus aetatis suae
lustris peractis in tanta iciderat corporis sui
detrimenta, ut manum pedumque officio frau-
daretur naturali : nam praedictos artus, hu-
moris ac roboris amisso vigore, in modum ligni
tabefactos ferre inepte * assueta erat : quae pro-
lata obtutibus sancti Viri, benedictione olei san-
cita, ab omni coepit curari molestia. Nam recu-
perata nervorum ac venarum facultate, jussu pon-
tificis ad patriam nendi * gradiendique peritia
gnara, regrediens conductu proprio vixit denuo.
Sed nec illud sub silentio tegendum autumo,
quod infra explanandum est. In agro namque,
qui k Gericiacus a vulgaribus vocitatur, quidam
accola genuerat filium, qui ab ipsis exordiis na-
tivitatis debilis manibus ac pedibus, solius re-
ptandi subsidioungebatur. Ex cujus eventu diro
parentes opipare moerentes *, divina solatiante
providentia, adfuit eis intempestivo noctis silen-
tio * quidam specie elegantis, a quo dictum est :

« Soblelem, quam nuper ita debilem suscepistis,
» pontifici Magnobodo deferte, atque ab eo ut
» sacris initiatur mysteriis petite, voventes eum
» in sorte religionis dicare. » Hac itaque visione
expergefacti, rem quam in somniis audierant in
invicem revolventes, diluculo inlucescente sur-
gunt, in vice sacerdotis Ecclesiae offerunt futu-
rum, ut aetate convalescente sacri cultus verna
floreret.

D

* B. patieba-
tur noctem

*Energume-
num liberat.
* B. addit:
aliud mira-
culum*

E

* B. delibutis

* B. matu-
rum
* B. abest
meandros

* B. exorans

*paralyticis
usum mem-
brorum red-
dit:
* B. Adjici-
mus*

i

F

* B. ineptus

* B. eundi

k

* B. notentes

* B. siticer-
nto

A floreret. Quo facto, omnis continuo imbecillitas membrorum ablata est, et robore corporis consolidatus, sub praesentia sistitur praesulis: qui comam capitis ejus abscidens, ut adolevit, divinis eum praefecit mysteriis, serviens Domino toto cordis imo, qui eum in hoc ordine adscivit.

* B. addit: ut
moris erat,

aridam ma-
nu et caecum
oculis crucis
signo sanat:

29 Quid vero referam de muliere quadam Leta nomine, quae ita bajulabat manum dextram aridam, ut nullius officii domestici habilis agnosceretur. Haec omni affectu mentis ad beatum Virum accedens, innotuit lugubri querimonia, quae erga se agebantur et artus sui abolitam spem. Et ille petitionibus ejus assensum praebens, invocato Omnipotentis auxilio ac facto signo crucis, incolumem reddidit dexteram ut laevam, omnesque articuli compagine virtutis corroborati sunt, nentes ac fila torquentes. Commemorandum est et illud quod, operante gratia superna, de quodam viro Cariulpho egit. Is enim caligine superveniente, caecitatis condensa incurrit: perduce itaque usus ad Virum Dei properare studuit; eique discrimina corporis sui non sine grandi maerore patefecit, et ut misericordiam adhiberet poposcit. Pro cuius miseria precibus ille fuis ad Dominum, signum admirabile crucis oculos tenebrarum nocte sopitos imprimens, pulsa orbitatis luvione, enixa est lux in pupillarum acie.

B

* B. oculis...
sopitis
* B. pulso...
livore

graviter fe-
bricitantem
sacro oleo sa-
nat.

30 Sed et quod pluribus est notum, non silentium arbitror de quadam scilicet muliere Marcia vocata, quae ita febrium invasione cruciabat, ut nulla requies diei ac noctis illi concederetur. Unde factum est, ut tantis afflicta penuriis ad Sancti pontificis praesentiam adire compulsata est; a quo more solito sacra unctione olei delibuta, omnis continuo recessit mortifera pestis, et in tantum prosperitatis compos facta est, ut quae alieno venerat subsidio, proprio regrederetur tutamine.

ANNOTATA.

a In episcopatu Andegavensi illa tempestate jam plura exstiterunt monasteria, praeter alia monumenta, haec ipsa Vita S. Magnobodi testatur. Cujus vero fuerit monasterii Abbas, hic citatus Eraclius, nusquam reperire potui.

C

b Quoniam Anonymus expressam hic mentionem facit sacro-sanctae Eucharistiae, confirmantur dicta cap. I nota h per Eulogias intelligi aliquid sacramentale, seu panem simpliciter benedictum.

c Hujus abbatis mentionem non facit Gallia Christiana Antiqua: fortassis, quia haec basilica, inquit, primum canonicorum regimini addicta fuit, sed canonicis translatis in aedem Mauricianam (seu cathedralem) substituti sunt monachi regulae Benedictinae (a), qui status usque ad finem saeculi proxime elapsi perseveravit. Nihilominus hanc ecclesiam saeculo VII jam regularem fuisse, monstrant clara verba Anonymi nostri loquentis de coenobio quod Nulphus secundum normam sacrae religionis regere satagebat.

d Colitur S. Albinus Andegavensis kalendis Martii, quo die ejus Acta data sunt a Nostris (b).

e Id est fratres, voce e graeco fonte detorta.

f Marbodius (c) praeter ulcera etiam scabiem memorat: unde etiam hinc probabile evadit huic scriptori praeter Anonymum alia documenta praelucisse.

g Cabariacense praedium, ut habet tum Anonymus, tum Marbodius (d), ignotum mihi jam dixi cap. II nota f.

h Marbodius (e) Godomellam scribit.

i Corniliacum, vulgo Cornelle, hodie ecclesia succursalis in districtus Balgiensis pago Seiches.

k Num hodiernus vicus Jarcoé in eodem districtu et pago ac Corneliacum? Probabile fit ex Marbodo loco citato, qui pro Gersiaci scribit Jerziacum.

AUCTORE
ANONYMO.

CAPUT IV.

Referuntur alia miracala: Sancti obitus et sepultura.

Ergo si vera fateantur quae relatione alterius didicimus, procul dubio frivola judicari non debent a quae oculis nostris perpeximus; et ut enucleatius aperiatur; duae sorores puellae, quarum una Necteria, alia vero Theodechildis vocabatur, secundum humanam propaginis genealogiam spectabiles, utrum propriis agentibus piaculis, aut parentum irretitae facinoribus, quod omnino non judicandum fore arbitramur, seu ut merita declararentur saepius praedicti pontificis, lumina oculorum amissa, gressus sui alterius dirigebantur solatiis. Quae in conspectu ejus adducta, mox ut olei fomento cum orationis adjumento meta pupillarum earum delibuta est, omni orbitate depulsa, naturali jocunditate irradiante, ad propriam reversae sunt mansionem sua praemunitae deambulatione.

Caecas duas
oratione et
signo Crucis
illuminat:

a

* B. reliqua

* B. lumini-
bus... am-
sis

E

* B. fomento
* B. mera

32 Igitur talibus ac tantis sancti Viri ubique clarescentibus virtutum indicis, atque crebrescentibus longe lateque actum suorum lampadibus, ut sagax animus praemeditari coepit qualem se erga cultum divinae religionis exhiberet, et quo augmento famulos Christi aggregaret, ad propalendam Sanctae Dei Ecclesiae normam, ad profectum sui et aliorum salutem. Cujus sollicitudinem Omnipotentis gratia favens, decrevit basilicam consecrare in honore videlicet gloriosi Martyris Saturnini b primi Tolosanae civitatis episcopi, et in honore omnium Martyrum; plurimorumque seorsum. Ergo ut mente conceperat, opere complens, monasterium c summo apparatu aedificans, viros sub sancto proposito deditos aggregare curavit, in quo etiam d syntochia ac brephotrophia construxit, ad peregrinorum, pauperum, profectusque multorum: atque ut inedia carerent inibi sub regula contuberniali degentes, omnia necessaria accumulavit, delegans praedia quamplurima, possessionisque multam congeriem; mandavitque ut post discessum incolatus sui, ibi corpus suum terrae commendatum supremum reparationis suae praestolaretur diem.

basilicam in
honorem S.
Saturnini
aedificat:

* B. Cujus
sollicitudini,
gratia fa-
vente,

* B. constru-
ere

b

* B. sancto-
rum

c

d

F

33 His itaque cum magna elegantia peractis, omnibusque aedulis, ut mente devoverat, constructis, quidam praepotens vir, vocabulo Theudobaldus, habens filiam atrociter vexatam, quae nullo poterat remedio curari, flens et ejulans ad sanctum Pontificem adduci fecit, obsecrans poplitibus flexis ut filiae suae ab hoste obsessae opem ferre dignaretur. Cui Vir beatus respondit: Non esse hoc suum, sed perfectorum patrum qui hoc possent virtute propria a Domino consequi; sed precibus supplicantium devictus pignora Sanctorum super cervices puellae imposuit cum benedictione olei et signaculo crucis; quo facto, iniquus praedo cum praestigiis suis fugatus, vas quod injuste invaserat relinquens, puella sensu animoque recepto incolumis restituitur sanitati. Sicque beatus tanto decoratus miraculorum eventu ab omnibus colitur, a cunctis praedicatur; parentes

energume-
nam liberat

(a) Gall. Christ. antiq., t. IV, p. 23.—(b) Act. SS., t. I Mart., p. 54.—(c) Beaug. Oper. Hild., col. 1500.—(d) Ibid.—(e) l. c.

AUCTORE ANONYMO.
cæcam signo Crucis

* B. orbitas

* B. Elimata

alium oleo sacro illuminat,

B

agrum et surdum sacro oleo sanat,

f

* B. guttam

* B. auditum

C

* B. abest: carpens duabus cæcis visum reddidit.

f

* B. pictatem

h

vero cum filia ad propria, unde mœrentes adveniant, tripudiantes revertuntur.

34 Hoc a beato viro celebrato signo, mirabilis denuo coruscat. Siquidem mulier, Prisca vocata, ab exordio nativitatæ suæ cæca enixa per sex orbita lustrum in hac ærumnosa perstitit orbitate. Sacerdoti ergo oblata illico sensit divinam super se declaratam virtutem e. Climata etenim ubi conjiciebantur fore officia visuus, nomen sanctæ crucis dextra impressans, absque dilatione solis præsentiam, quam nusquam viderat, cernere promeruit. Illico clamor populi attollitur, ac multi gaudentes dicebant sanctum Pontificem simile filio Dei fecisse, qui a vitæ exordio genitum curaverat cæcum.

35 Eodem quoque tempore quidam adolescens Vincemalus nomen sortitus, talem incurrerat corporis molestiam, ut oculos tenebrato lumine amitteret, qui ad serenissimum antistitem veniens, oleo sanctificato in pupillis delinitus est, et mox recedentibus tenebris lumen valens adeptus est, quod æger perdidit. Deinceps vero prosperitate fruitus, ipse super muri fastigia ambulans, casu ab arduo corruit in ima. Qui virtute olei sanctificati, quo a beato Pontifice perunctus est, cooperante juxta assertionem plurimorum, ita inlatus inventus est, ac si minime currere videretur.

36 Denuo vero alius offertur, qui per quinque annorum curricula infirmitate detinebatur incommoda; quem eximius pastor misericordia ductus olei liquore benedictionis munere imbutus, ac oratione fusa, vigor membrorum subito virere cepit; sicque immensitas doloris abscedens, homo qui f clinicus advenerat, erectus repedavit, glorificans æterni Regis munificentiam, qui mirabilis in Sanctis suis, talia per eos operatur magnalia. Gyrate dehinc temporum articulo, quidam cognomento Gildoaldus, ægritudine diutina invalescente, officium auditus amisit. Perlatus conspectibus venerandi præstulis, nisibus quibus poterat exorabat remedia promereri. Ad quem Beatus prælibatus accedens, digitos in aures ejus immittens, simul quoque olei gratia infudit; a quibus continuo scaturiens tabes prosilivit cum fetore horribili, ita ut circumstantes ferre nequirent; atque ita surdus expertus auditu ac aptatus munere duplo ad peculiare suum repedare studuit lætus tramitem carpens.

37 Sed et illud memoriæ commendandum est, quod mulieri cuidam ex villa quam g Volensem vocant, evenisse contigit. Ea namque, ut asserebat, tali impedimento gravabatur, ut si quando, re domestica interveniente alicui operi intenta foret, oculi ejus hebetescebant, ac per longa temporis intervalla cæcitate clauderentur. Ergo, ut mos aliorum ægrotantium erat, ad venerabilem Dei hominem properans, narravit quæ circa infelicitatem suam agebantur, et conditionis suæ importunitatem. At ille ineffabilem virtutem Christi invocans, vagum lumen, quod mulier pro ambiguo possidebat, stabile firmavit, atque discussis tenebris, ovantem abire fecit. Dicamus ergo et illud, quo absque figmento mendacii testificari et astruere possumus. Item mulier in vico cui vulgo h Verciacense nomen est, procreata, casu subripiente, semper optatum lumen capitis perdere coacta est, quæ Alloveia vocata ad benignissimum virum adducta, precibus circumstantium devictus est orationem pro ea fundere. At ille non refutans vota precantium, invocato Omnipotentis adminiculo, per unctionem salu-

brems visu restituto mulieri, ad propria unde venerat, repedans alacriter.

38 Et illud omittendum non censemus, quod in præsentia nostri actum est. Quædam siquidem mulier, simili modo fenestris luminis amissis, nomine Arigundis, insuper omni compagine membrorum abdicata, loquendi usu fraudata, omnimodis spem recuperandæ virtutis amiserat. Qua ex villa Conflentis, ubi edita permanebat, ad virum Dei deducta, per triduum fuis precibus, pro ea ad Dominum incolumem reddidit. Atque omni cum integritate consolidatæ manus et pedum bases, in revertendo solatio non eguit alieno. Igitur sancto Viro tantis evidenti approbatione illustrato virtutum commercis, contraversia quoque reprobatorum contra efferbuit; sed pœna multatus est, qui hostis pietatis intumuit; et ut apertius edisseram, quidam intra aulam regiam commanens, cupiditatis livore anfractus, ut postea rei probavit eventus, jumentum quod ecclesiæ utilitatibus suppedabat, nisu temerario invasit, suisque usibus præfecit. Hoc ad aurem Pontificis perlato, magis sub silentio oculere, quam querelam voluit exaggerare. Sed in sequenti nocte ultio divina eum percussit. Nam mox ut sopori se dedit, vidit se in somno globis ignium circumvallari, ac pontificem minis terribilibus semetipsum redargui. Cujus comminationibus expergefactus, magnis cepit clamare vocibus, torqueri se a beato Antistite, ac petere ut ab eo visitari mereretur: ad quem ille ire non abnuens, eum visitatione ammonuit æmulum, ne sanctæ Dei ecclesiæ pervasor existeret, sed magis Christi famulos coleret ac a stipendiis eorum abstinere. Quo facto, oratione fusa, incolumem restituit, damnum, quod ecclesiæ intulerat, restaurari præcepit. At ille absque mora jussis ejus obediens, quod injuste abstulerat, reddens, liber et sospes abscessit.

39 Rexerat itaque jam prædictus sæpius sanctus pontifex ecclesiam Andegavensem sibi a Domino creditam per multa annorum curricula, sub magno euangelicæ prædicationis honore, sub excellenti pietatis devotione; ac per id temporis multitudinem populi Catholico dogmate ad Christianæ fidei convertit sanctitatem. Ardebat in pectoribus singulorum cœlestis patriæ amor, plebs ad ecclesiæ sanctæ sinum statutis diebus concurrebat, hymnidicas ubique odas clerici concio personabant. Religio Christiana ex amussim augmentabatur. Resecabantur vitiorum stigmata, accendebantur bonorum operum incrementa et hujusmodi virtutum igniculis Sancta Dei Ecclesia ubique pollente, piissimus pastor naturali eventu properante ad debita mortis confinia, maturante jam ætatis i silicernio cepit adpropinquare. Qui ad se accersitis fratribus, quod sub sancto dogmate edocuerat, resolutionem sui corporis intumens, ex hoc mundi ergastulo se transire innotuit. Ac post paullulum febrium valetudine irrupente, viribus cepit destitui corporeis. Ad cuius discessum clerus ac populus adglomeratus, patroni sui famulabantur quantis poterant visitationis votis. Quos ille conatu quo valebat admonens et instruens, exhortabatur ut a peccaminum laqueis se cavere studerent, et præceptis Domini in omnibus memoriæ, voluntati ejus parerent, justitiam sequerentur, charitatis fœdera cum pacis tranquillitate imitarentur, ut quando tempus vocationis eorum ab hac ærumnosa vita appropinquaret, non quasi socordes ac desides invenirentur, sed vigilantes in bonis operibus, præsto haberentur.

D

* B. repedavit. Cæca sanatur, prædo ecclesiæ puniuntur.

* B. Carigundis

* B. adita

* B. visu

E

* B. Pontificis

Sanctus in morbum incidit,

F

* B. educaverat

* B. in valetudine

* B. memores

A
moritur xvi
Octobris et
honorifice
sepelitur:

40 Finitis ergo mandatorum privilegiis, quibus alumnos instruebat, erectis in cælum manibus, inter verba orationis sedulo Dominum invocans, xvii Kal. Novembris inter manus eorum, spiritum Domino reddens, terræ corpus reliquit. Cujus anima, ut vere, profitemur, ab Angelicis agminibus assumpta, conspectibus divinis oblata, lætatur cum gloria. Ad ejus exequias multi adfuerunt ex vicis et agris, fletibus ac gemitibus aera complentes. Ejus sanctissima gleba, succolante sandapila clero ac populo *k*, in basilica quam ipse magna cum diligentia dedicaverat, perlata, in mausoleo sarcophagi summo cum honore condita est. Ubi etiam quamplurima fidelium somata *l* digna veneratione habita, requiescunt, præstantes renovationis suæ diem et venturi iudicii examen. In quo loco multa, Domino cooperante, fiunt magnalia: cæci illuminantur, claudi curantur, leprosi mundantur, dæmones ex obsessis corporibus fugantur, paralytici eriguntur, et innumerabilia, quæ enarrare incommo- dum videretur; ex quibus unum quod memorie occurrat, huic paginae inserendum censemus.

* B. videretur

B
duos captivos
liberat,

* B. astricti

* B. ridentibus

m

41 Post obitum siquidem viri Dei, homines duo, quorum unus vocabatur Gualdo, alter vero dicebatur Bodecharius ex patria Cenomanensi, ab Andegavensibus hostibus suis fortuito capti, in compe- ditibus ac manicis attriti*, dira maceratione alidebantur. Nam sub ergastulo horrendo, penuria ac inedia pannisque circumsepti, ludibrio videntibus* apparebant. Cumque ita loris adnexi per plateas et per ambulacra causa opprobrii, cum egestate ducerentur, contigit divino respectu, ut ad limina, ubi funus habebatur memorandi pontificis, non sine grandi custodia advenirent. Qui cum ad tumulum præfati pontificis accederent *m*, confestim, enodatis vinculis, compagibusque catarum eliminatis, vincti qui putabantur, absoluti apparuere. Quod lanistæ cernentes, tanta novitate miraculi metu percussis, hac illacque divulgantes, omnibus innotuere. Ac ubi ad notitiam procerum civitatis pervenit, meritis hoc S. Magnobodi adscribentes, vinctos quos apud se more hostili detruserant, propriæ libertati concedentes, abire sinunt. At illi ab omni querela impedimenti immunes, ad patriam sui incolatus redierunt indemnes, collaudantes Christi virtutem Sanctique Magnobodi merita, qui de tanto discrimine eos eripuerat.

plures agri
sanantur.

42 Hæc ad aures vulgi divulgata, excrescere cœpit major veneratio erga sepulchrum Sancti antistitis: ita ut de longinquis et exteris regionibus, variis obsessos languoribus adducerent, et inibi excubantes ab omni infirmitatis incommodo eruebantur. Ubique memoria ejus celebrabatur, ubique merita ejus absque interpolatione recitabantur, audientes et videntes ineffabilia miracula, quæ diatim a glorioso præsule agebantur.

Epitogus.

43 Ergo animo devoto et prece supplicis exoremus clementiam pietatis ejus, ut sicut in hac vita præsentis superstes, vota deprecantium favere studuit, ita quoque intercessor existere non dedigne- tur pro piaculis, quæ quotidie super nos accumulantur: quatenus ab omnibus sordium criminibus emundati, valeamus ab interitu gehennæ liberari, et in æterna lætitia doxa frui cum Sanctis, adjuvante Domino nostro*, cui est honor et potestas cum Patre et Spiritu Sancto per immortalia sæcula sæculorum. — Amen *n*.

* B. addit:
Jesu Christo

n

ANNOTATA.

D

a Jam signavi hunc locum in Commentario prævio num. 8 ad monstrandum Anonymum nostrum S. Magnobodo cœvum fuisse.

b Colitur S. Saturninus, die iii kal. Decembris, qua ejus Acta, satis intricata, edentur.

c Summum apparatus quo Magnobodus monasterium S. Saturnini construxit, enucleatius expositum a Marbodo retulimus in Commentario prævio num. 50. Agi vero in eo loco de tessellato seu, ut vulgo dicitur, musivo opere, nemini dubium esse potest, consideranti alternantibus spatiis parietem depictum: musevum hic materiam intelligo ex qua tessellæ conficiebantur, siquidem gypso opponitur: forsitan erit musivum vitrum græcum; quod spissum ad mensuram unius digiti, ait Theophilus in diversarum artium schedula (a), finditur calido ferro per quadras particulas minutas.... Hujusmodi vitrum interpositum musivum opus omnino decorat. Idem (b) methodum tradit, qua albatúra gypsi omnino plana et lucida fiat. Imo ipsum gypsum coloribus atque adeo imaginibus ornari potuisse, probabile facit citatus Theophilus (c), dum dicit vasa fictilia diverso colore vitri pingi consuevisse. Tandem gypsum interpretari licet, teste du Cange verbo gypsea fenestra, lapidem specularum, ad modum vitri perspicuum: unde hujusmodi quoque significationem sibi præfigere potuit Marbodus, quod profecto gypsi genus cum vitro musivo optime quadraret.

E

d Syntochium, ait Du Cange, idem est ac Sinochium seu Xenodochium, id est hospitibus et peregrinis recipiendis parata et instructa domus: brophotrophium parvulis educandis hospitium. Marbodus eadem ita refert (d): Construxit domos alias suscipiendis aptas hospitibus, infirmisque recreandis idoneas, ut nihil probaretur ad bonæ actionis ministerium defuisse.

e Climata hic regionem corporis indicant, in qua sit sedes visionis.

f Clinicus, id est ægrotus.

g Villam Volensem, seu secundum Marbodem (e) Velosesis, nusquam reperi in mappis aut lexicis topographicis, nisi forte fuerit Volandry, in districtu et pago Balgiensi.

h Vicus Verchiacensis, Marbodo (f) Verchiacensis, ignotus mihi locus, nisi quis interpretari velit les Verchès aut Saint-Just-des-Verchès, in districtu Salmuriensi (Arrondissement de Saumur, canton de Doué).

F

i Silicernium propriè cœna funebris, quæ senibus effectis sternebatur, hic vero pro ipsa senili ætate accipitur.

k Hæc S. Saturnini basilica nomen dein de S. Magnobodi assumpsit, ut dixi Commentarii prævio num. 50.

l Somata id est corpora.

m Monstravi supra in Annotatis ad Vitam et miracula S. Galli lib. II, cap. IV, nota c frequenter Sanctorum invocatione vincula fuisse disrupta.

n Codex manuscriptus, quo usus est D. Beaugendre, huic clausulæ subnectit sequens miraculum, quod ex ejus editione hic damus: Christus itaque Dominus Jesus, qui glorificat glorificantes se, mortuum puerulum ad laudem et gloriam nominis sui per hunc pretiosissimum antistitem suum Magnobodum ab inferis revocare dignatus est. Quadam namque die, dum ad supradictam basilicam cum maximo cleri plebisque tripudio Misam celebraturus occurreret, mulier quædam, ut benedictionibus sancti Pontificis particeps efficeretur, cum filio uteri sui advenit: quæ cum intra septa ecclesiæ se recepisset, et parvulus ejus ab ea recessisset, ecclesiæ valvas petiit, et in plate-

(a) Lib. II, cap. xv, p. 94. Edit. Paris. 1843. — (b) Lib. I, cap. XIX, p. 34. — (c) Lib. II, cap. XVI, p. 35. — (d) Oper.

Hildebert., col. 1502. — (e) Ibid., col. 1503. — (f) Ibid., col. 1504.

am

am, quæ ejusdem ecclesiæ est vicina, ludos agere cepit. Et subito ex Valleia agmen equarum adveniens, atque ad insulam, quæ vulgariter Mons nuncupatur, tendens, per eandem plateam veloci cursu pertransibat. Cumque prædictus puer ad dexteram, sive ad sinistram declinare non valeret, insidiante, ut credo, humani generis inimico, ab eodem agmine in frustra discerptus expiravit. Etenim cum a sancto pontifice Missarum solemnità fuissent expleta, mulier filii sui immemor ad propria revertabatur. Itaque cum per plateam transitum fecisset, reperit filium suum in frustra discerptum, et cum magno animi dolore a terra eum levavit, statimque miseram se clamans, ac magis vocibus aerem replens, nullo modo se poterat a lachrymis continere. Sed ubi ad memoriam rediit, quæ diutim a sancto gerebantur præsulæ Magnobodo, concito gradu ad basilicam usque

pervenit; nondum enim sanctus antistes a basilica discesserat. Ergo prædicta mulier suffocati filii sui corpus in conspectu Sancti exposuit, dicens: Vir sancte restitue hunc mihi filium, qui pater populi agnosceris. Hæc atque multa his similia ea dicente, devictus mulieris precibus Vir Dei ad arma consueta recurrens, populo spectante, prosternitur in terra. Quid multis moror? Tandiu sacerdos jacuit in pulvere, donec pariter surgens pontifex de oratione, et puer de morte. Hinc circumstans populus non minimo stupore concutitur, inusitatum cernens miraculum, fragorque in partes attollitur, laudes in excelsis Creatori referuntur; complecturque veridica veritatis vox promittentis ac dicentis: Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet. Mater vero cum filio ad propria, unde advenerat, lætabunda regressa.

DE S. KIARA VIRGINE,

IN MOMONIA IN HIBERNIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

S. Kiarae cultus certus; incerta ejus gesta; constare tamen videtur conditum ab ea fuisse monasterium Killchrea.

FORTE ANNO
DCLXXX.

S. Kiara, laudata a martyrologis maxime Hibernis.

SÆngussius Keledeus in Festilgio Metrico Hibernico, quod in cultu adstruendo plurima auctoritate pollet, S. Kiarae, filia Diubreæ, festum annuntiat die v Januarii. In Martyrologio vero non metrico eadem Sancta duobus diebus memoratur, v nempe Januarii et xvi Octobris. Eandem utraque die nominant Martyrologium Tam-lactense, Kalendarium Casselense et Carolus Maguis, qui et Ængussius auctus vocatur. Beatus vero Marianus Gormanus hanc Sanctam die v Januarii tantum proclamatur. Hæc ex Colgano (a); quæ a nobis cum apographis Hibernicis, in bibliotheca Burgundica regia Bruxellensi servatis, aliisque scriptis, a canonicis regularibus Tongerloensibus nostro musæo concessis, collata, fidelia esse reperimus. Præterea ad dictos dies hujus Sanctæ nomen nobis occurrit in Kalendario Tam-lactensi, et in Martyrologio Dungalensi: in quo posteriore Keara de Muigh-ascad (campo petito) nuncupatur. Hibernice autem ejus nomen scribitur Ciar, Cera, Cere, Ceara; C vero apud Hibernos K audire, vulgo observatur. Quod autem et Caila et Piala interdum scripta est, vitium, an nominis synonymia sit statuunt alii. Insuper S. Kiarae brevem Vitam dat Bucelinus in Menologio Benedictino ad diem v Januarii. Britannia Sancta (b) et alterum Martyrologium Anglicum (c) ad xvi Octobris nihil aliud asserunt, quam nomen Cyram, et locum antiqui cultus Killchream. Castellanus ad xvi Octobris gallice eam Kère, latine Kiaram appellat, eamque ut Virginem et abbatissam in Momonia (Munster) in Hibernia celebrat.

et distinguenda a tribus nominibus,

2 Distinguenda est hæc Sancta a tribus aliis, quæ v Februarii, viii Februarii et ix Septembris celebrantur. Prima dicitur a Colgano (d) coli in Raith; eamque annuntiat S. Ængussius: Cæra Raithensis Mentichi, vel Raith-Mentichensis. Secundam annuntiat idem martyrologus, præter morem: San-

ctæ Virginis nomini Keræ adjiciens. Tertiam, a Colgano adstructam non reperio in scriptis, quæ in præsentiarum præ manibus mihi sunt. Castellanus quidem inter æmeros producti quamdam S. Keram, Virginem, abbatissam in Momonia, mortuam mense Januario. Verum non ambigo quin eadem sit, quæ v Januarii et xvi Octobris colitur. Ad dictos autem Februarii et Septembris dies nullam Kiaram, Ceram, Cyram, etc., notarunt decessores nostri, nequidem inter Prætermittos; similiterque Colganus ad dies v et viii Februarii siluit de his Sanctis: neque nobis lubet incassum hunc tentare labyrinthum.

3 De loco, in quo S. Kiara cultum sortita est, loquuntur plures: Colganus (e) affirmat hunc locum olim Kill-Chere hodie Kill-Chreidham, seu ut vulgus loquitur, Killchream appellatum esse; ejusque situm in diocesi et comitatu Corcagiensi statuit; qua in re ab eo non dissentit Lanigan (f), qui hunc vicum paucis leucis Africum versus a Corcagio dissitum esse docet. Uterque nomen loci deducit a Cella Kiarae, quod Hibernis Kill-Chere dicitur: illic utique parthenonem existitisse consentiunt Colganus et Lanigan; eisque accedit Gough, editor Camdeni Britannicæ (g). Archdall in Monastico Hibernico et Smith in Historia Corcagii auctores secutus. Cum autem B. Marianus Gormanus et Carolus Maguis ex una parte statuunt S. Kiarae corpus in ecclesia Maghascad (Martyrologium Dungalense Muigh-ascad habet), et ex altera parte Kalendarium Casselense, aliique, teste Colgano (h), tradant ad xvi Octobris, sacra hæc pignora in ecclesia Killchreensi asservari, dubitat Colganus aut potius suspicatur, nomina Maghascad et Killchream aut Killchream eidem congruere loco. At cavendum est ne item confundantur rudera cellæ seu monasterii S. Kiarae (nisi tamen errorem prodatur Colganus, cum (i) tradit saxea, ceu viva, loqui monumenta nomen S. Kiarae) cum parietinis

cultum sortita est Killchrea.

F

(a) Act. SS. Hibernicæ, p. 15. — (b) Part. ii, p. 205. — (c) A memorial of ancient British piety, p. 145. — (d) Act. SS. Hibernicæ, p. 16. — (e) Ibid., p. 16, not. 6. — (f) Ec-

clesiast. Histor. of Ireland, t. III, cap. xviii. — (g) T. III, p. 506. — (h) Act. SS. Hibernicæ, p. 15, not. 13. — (i) Ibid. p. 14, num. 1.

conventus